



[Faint, illegible handwritten text on a large sheet of paper, possibly bleed-through from the reverse side.]

1.
1.
2.
16
1.
1.
16
1.
2.
16
1.
16
1.
16
1.



133.

DISPUTATIO POLITICA
De
MAIESTATE,

M. 14. 5

Quam

D. T. O. M. A. 1622 1

PRÆSIDE

DN. ANDREA DINNERO, J. U. D.
Cod. Prof. in Academia Altorfinâ,
& Consil. Norimberg. &c.

Publicè pro virili defendendam proponit

Ad diem Novemb. 1622

DANIEL Zmlin Hailbronnensis,
Auctor & Respondens.



ALTORPHI Noricorum,
& Typographiâ Balthasaris Scherffij,
Academie Typographi.

Anno MDCXXII.

68.



MAGNIFICIS NOBILISS. AMPLISS.
AC PRUDENTISSIMIS
DOMINIS,

Dn. LEONHARDO Grundtherm/
Præpotentis Reipublicæ Noricæ
Duumviro spectatissimo,

Dn. ANDRÆ Im Hof/ ejusdem
Reipublicæ Septemviro laudatissimo.

Dn. GEORGIO CHRISTOPHORO
VOLCAMERO, ejusdem Reipubl.
Senatori, ac Scholarchæ
dignissimo.

Dominis Mœcenatibus ac Patronis cultu
perpetuo prosequendis:

*Hoc exercitium Politicum, in grati animi τεκμήριον
& debita observantia signum.*

Dicat & Offert:

Daniel Imlin/ Auctor & Respondens.

DISPUTATIO POLITICA

De MAJESTATE.

Prooemium.

DAUCA quædam de Majestate Politicâ pro ingenij ratione differere animus est: ubi à limine quidem multa de necessitate, utilitate, jucunditate ac difficultate hujus materiæ dicere possem: Verum cum hoc & ab aliis sparsim ac copiosè hinc inde præstitum sit, & utilitas hujus materiæ sese ipsa omnibus ultrò ostendat, (prout de restitutionibus in integrum loquitur Jctus in l. 1. ff. de Restit. in int.) vereor, ne si quædam, quæ in commendationem hujus rei dici possunt, proferam, idem mihi contingat, quod Sophistæ apud Plutarch. in Apophthegm. cui, cum scripti alicujus adornaret recitationem, & Antalcidæ de argumento ejus interroganti responderet, *Herculis encomium esse*, scitè ac prudenter Antalcidas dixit, quis unquam illum vituperavit? Quod nempe supervacaneum judicaret, in eâ re commendanda defudare, in cuius commendatione occupati essent omnes. Missâ igitur debitâ hujus materiæ exornatione materiam ipsam statim penitus paulò intuebor, additâ tamen hâc petitione, ut si quid minus politum, vel tale quod præjudicium alicui creare posset, à me scriptum fuerit, id L. B. pro non scripto habere, & quod ipsi grave non erit, minori lapso in integrum restitutionis beneficium impertiri velit, quia ut errare humanitatis, ita in errore perseverare iniquitatis esse duco.

T H E S I S I.

PRincipiò igitur vocabuli Majestatis significationes distinguere, ac in ambiguitates ejus, (ne deceptus falsa pro veris admittam, meq; ipsum summæ ignorantia rerum exponam,) inquirere operæ pretium erit. Reperio autem illud triplici in significato à Dd. usurpari. Primò namq; sunt, qui Majestatem collocant in gravitate personæ, quæ visu ac auditu venerabilis est, *Tacit. 2. Annal. Herman. Kirchn. de Republ. disp. 2. th. 2. Althus. 1. pol. 19. Lips. 2. pol. cap. 16. Math. Bort. apud Arum. disc. Academ. vol. 1. disc. 30. cap. 1.* quâ motum Italum quendam, qui invictissimum Imperatorem Carolum V. Romæ Patheium, ædificium splendidum, contemplandi causâ ingressum, in summitate ejus per fenestram deturbare destinârat à scelerato proposito destitisse, *Phil. Cam. oper. subciv. cent. 1. cap. 30. in prin.* quâ item & alios deterritos & à nefario occidendorum Principum proposito revocatos legimus *Camerar. d. l. Mich. Piccart. observ. decad. 6. cap. 1.*

Secundò reperiuntur, qui vocabulum Majestatis, ut vocabulum honoris à potestate separatum accipiunt: adeòq; Majestatem in solâ dignitatis externæ præ eminentiâ ponunt, quod faciunt *Petr. Gregor. Tholozan. de Republ. lib. 8. cap. 3. Sueton. in Tiber. cap. 30. ubi potestatem ac Majestatem separat in illis verbis. Quinetiam speciem quandâ libertatis induxit, reservatis Senatui ac Magistratibus pristinâ Majestate ac potestate. Cic. pro Balb. & de Orat. lib. 2. aliisq; locis ubi Majestatem per amplitudinem populi definit. Arnif. de Jur. Majestat. lib. 1. cap. 1. per tot.* Quo respectu Reges Lacædemoniorum, Duces Venetorum aliq; dignitate regia gaudentes, nullam verò regiam potestatem exercentes, Majestatem habere dici possunt.

Tertiò deniq; sunt, qui vocabulo Majestatis, prout in summa potestate consistit, utuntur, quo sensu accipitur Majestas ab Interpretibus, in *l. 3. ff. de Jurisdic. l. ult. C. de L. L. & Const. Princ. l. Imperatorem 91. ff. de hered. instit. l. ex imperfecto 23. ff. de legat. 3. & aliis locis, & à Politicis communiter, vid. Besol. lib. 1. polit. cap. 2. in prin. Henning. Arnif. de Jur. Majest. lib. 1. cap. 1. Herman. Kirchn. in disputat. de Republ. disputat. 2. thes. 2. Joachim. Stephan. de Jurisdiction. lib. 1. cap. 7. num. 8. Math. Bort. apud Arum. vol. 1. discurs. Acad. discurs. 30. de Natura Jur. Majestat.*

Majestat. cap. 2. numer. 1. Appellaturq; hoc summum Imperium, τὸ κύριον πολιτεία, Majestas, non aliunde, si originem vocabuli inquirere (prout inquisitio ejus maximæ curæ nobis esse debet, exemplo Philosophorum ac Jurisconsultorum in *l. ita vulneratus ff. ad L. Aquil. l. Senatus 35. ff. de donat. mort. caus. l. 1. in prin. ff. de reb. cred. Henric. Bocer. de Bell. & duell. cap. 1. n. 2. Rutger. Ruland. de commissar. & commission. lib. 4. cap. 2.*) velimus, quam à Magnitudine, *Besold. lib. 1. pol. cap. 2. n. 1. Henning. Arnif. d. l. Marin. Rymmel. diff. ad Ar. Bull. part. 3. dissert. 2. th. 2.* non quidem notatione aliqua Grammatica, vocabula, sed Logica, res ipsas potissimum considerant, *Harprecht. in §. publica judicia. Inst. de de publ. Iud.* In qua posteriori significatione & ego hoc loco vocabulum Majestatis prius missis considerabo.

II.

Distinctionem vocabuli sequitur definitio quæ potissima rei pars est, *l. 1. ff. de Orig. Jur. Herman. Kirchn. de Republ. disp. 1. thes. 3.* Definitio itaq; Majestatem, & constituendam, & constitutam Reipublicæ regendæ potestatem, *vid. Meus. Bort. de Natur. Jur. Majestat. apud Dominic. Arum. d. l. Quæ* definitam rectè puto dividi in *Realem* ipsiusq; imperij, ac *Personalem* imperantis scilicet Majestatem, à priori tanquam fundamentatum à fundamento distinctam, *Herman. Kirchn. de Republ. disp. 2. th. 3. Philipp. Henon. disp. polit. 3. thes. 37. Besold. lib. 1. polit. sect. cap. Math. Bort. dict. disc. apud Arum. d. thes. Cujus* divisio licet non desint reprehensores, Majestatem unam tantum asserentes, nixi hoc fundamento: Quòd populus Romanus lege Regia tempore Augusti lata, (ut volunt contra *Ioh. Norderman. de Jur. Principat. th. 45.* promulgationem legis ad Syllam Interregem referentem, *Clar. Dn. Besold. in œcon. tit. 3. & 4. lib. 1. ff. q. 1. Domin. Arum. exercitat. ad Inst. 1. th. 18. per tot. arg. l. 14. in fin. ff. de Manumiss. in illis verb. ex lege Augusti.) omne jus suum in Principem contulerit, §. *sed & quod Principi placuit. Inst. de I. N. G. & C. l. 1. ff. de Const. Princ.* adeoq; nec Majestatem salvam habere dici possit. Verum sufficientissimè illi & legibus & rationibus legum confutantur, quippe cum leges Majestatem populo, perpetuo non solum post legem Regiã deferant, *l. 7. §. 1. Ibi majestatem nostrã. ff. de capt. & postlim. revers.* (unde & illæ formulæ hodiè, in vnser vnd des H. Reichstatt/*

Item, vñs vñd dem S. Reich. vid. Bort. d. l.) sed etiam in eum crimen læsæ Majestatis committi expressè asserant, l. 1. l. 3. ff. ad L. Jul. Majest. §. 3. Inst. de publ. Iud. Bocer. de crim. Læs. Majest. cap. 1. n. 27. & class. 4. disput. 11. per tot. Hun. in Resolut. Trentl. vol. 2. disp. 22. thes. 2. Nec movet fundamentum propositum ex l. 1. ff. de const. Princ. & S. sed & quod Principi placuit Inst. de Iur. Nat. Gent. & Civil. Non enim quod ibi dicitur ita accipiendum est, quod populus Principi privativè omne jus suum, nil juris apud eum remanente, concesserit, sed cumulativè quòd potius cum Principe jus suum communicaverit, pro ut concurrentia Senatus, quæ longo post latam L. Regiam tempore duravit, l. 9. ff. de leg. l. un. C. de S. C. l. 16. ff. de sponsal. l. 15. ff. de rit. nupt. Arum. exercit. ad Inst. 1. thes. 15. Petr. Syr. disc. de pac. Relig. apud Dom. Arum. vol. 2. d. ff. Academ. diff. 10. th. 14. in fin. sufficienter probat; De quâ re vide Casp. Leipold. de concurr. Jurisdic. quest. 1. à prin. Duar. c. 1. ff. de constit. Prin. Hun. d. l. Henric. Bocer. de crim. Læs. Majest. cap. 1. Dissentit Hotoman ad L. 1. ff. de const. Princ. Oswald. Hillig. in Donell. Enucleat. tit. 1. cap. 15. sub. Lit. G. per vocabulum transferre, quod idem est ac alicui quid tribuere & alteri adimere, arg. §. un. Instit. de adempt. legator. tot. tit. ff. de adimend. & transfer. leg.

III.

Antequam verò ad fundamentum descendam, ordo requirit, ut prius de fundamento, utpote natura priore, ipso superstructo, puta de *Majestate Reali* agam, maximè quia *Realis Majestas* circa cõstituendam, *Personalis* vero circa constitutam *Rempublicam* cõservandam ac bene administrandam versatur, prius autem semper de constituyente, quàm de constituto cogitare oportet. Definiri itaq; potest *Majestas realis* cum Math. Bort. apud Arum. d. l. Quod sit *compages potestatum Reipublicæ sui fundandi & conservandi ergo*. Mihi quod etiam ipsi Bort. d. l. perfectè definiri nequit, sufficiat ita descripsisse: *Quod sit potestas Reipubl. competens sui fundandi & conservandi ergo, ei coeva, etiam sub tempore interregnum permanens*. Quæ definitio congruit cum illis, quas habent, Besold. d. l. 1. pol. cap. 2. Herman. Kirch. de Republ. disp. 2. th. 3. Lit. a. & sup. cit.

IV.

Dixi versari eam circa fundandam & conservandam *Rempublicam*. Nam in iis quæ ad fundationem & *Reipublicæ* conservationem

tionem pertinent, limitat *Majestatem personalem*, ita ut quoad ea-
gerēda vel pro lubitu mutanda vim suam exercere nequeat. Sic limi-
tatur circa concessionem regnorum personalis Majestas, sive ea per
electionem, sive successionem ex lege aliqua, vel jure hereditario de-
ferantur, ita ut Principes pactis hac in re subditis præjudicium nullū
creare, nec iis per ea jus quæsitum auferre possint, id quod exemplo
Hungarorum evadit manifestum, qui contra Ferdinandum Austriæ
Ducem ex pacto inter Maximilianum Austriæ Ducem, & Ladisla-
um Ungariæ Regem inito, successionem in regnum electivum præ-
tendentem adeo obstinatè jus suum defenderunt, ut potius jugo
Turcici Imperatoris Soleimanni colla sua submittere, quam pactio-
nes istas in summum sui & suorum præjudicium initas ratas habere
maluerint. *Iohan. Sleid. lib. 6. commentar. de statu Religion.* Quan-
quā diffiteri nō possim, ejusmodi pactioes nonnunquā ratas habe-
ri, vel gratia & amore Prædecessorum qui benè de Republica meriti
sunt, vel usu & utilitate Reipublicæ hoc exigente, nè Principe mor-
tuo regnum quorumvis libidini pateat, singulorumve prædè ex-
ponatur, *Math. Bort. sæpè allegor. loco. ubi exemplis hoc confirmat.*
Eodem plane modo limitatur Majestas personalis à Majestate rea-
li, circa alienationem territorij, ita ut etiamsi expressè prohibita
non sit, vi tamen hujus prohibita censeri debeat, *arg. l. 7. §. 3. ff. pro
empt. Petr. Heig. part. 1. quest. Jur. civil. & Saxon. quest. 19. num. 1. 2. &
seqq. Math. Bort. apud Arum. disc. Academ. 30. vol. 1. cap. 2. th. 16. Chri-
stoph. Besold. 1. pol. cap. 2. & in tractat. de Appellat. cap. 2. n. 16. Hotom.
Illustr. quest. & alij.* Ipsa siquidem Republica est rerum suarum
Domina, nec Principatus est in mansupio Principis, *Bald. in cap. di-
lecti. extr. de Iurejurand.* qui non dominum, sed administrationem
tantum principatus habet, & deterioris etiam quovis Usufructuario
conditionis est, cum ad eum modum quo usufructuarius fructibus
uti, ac fructus indistinctè in quemvis transferre prohibeatur, sicut
revocationes donationum à prædecessoribus collatarum in Gallia
à Curia Parisiensi, teste *Besold. in tract. de arar. publ. cap. 2. pag. 29.* factæ
sufficienter demonstrant. *Ian. Brut. Celt. in libell. cui tit. Vindicia con-
tra Tyrannos. quest. 3. pag. 118. & seqq.* Hoc sub prætextu Angli aliena-
tionem sceptri in manus Pontificis factam irritam habuere. Quem-
admodum & Galli cum Franciscus Gallia Rex, prælio Ticinensi
captus

captus pacificatione inita cum Carolo V. alienationem Burgundiae aliorumq; quorūdam Principatumum promississet, promissionem quod in praedictum illorum facta esset, nec in Regis potestate, consisteret invalidam pronunciare, ut refert Sleidan. quamvis & pactum istam servari non debuisset, quod Regi metu extorta esset, quidam contenderint. *Herman. Lath. de cens. lib. 1. cap. ult.* Eodem deniq; modo & Imperatori Ottomannico Soleimano persuaserat, alienationem territorij à Principe factam irritam esse, ut propterea Romam tanquam in praedictum successorum alienatam ad Ottomannicum Imperium semper spectare contenderit. Nec facit huc *l. deprecatio ff. ad L. Rhodiam de jactu.* Ubi Princeps Dominus mundi dicitur, & ob id quoq; effectus dominij, puta alienationem, *l. in re mandat. C. mandat. exercere posse videtur.* Nam illud dictum non verum dominium sed tantum imperium ac protectionem respicere, non solum ex dicendis, verum praecipue ex illo Cic. 2. off. liquet, ubi dicit, videntem hoc maxime esse ei qui Rempublicam administrat, ut suum quisq; teneat, neq; de bonis privatorum, vel multo minus Reipublicae diminutio ulla fiat, vide *Christoph. Besold. lib. 1. polit. cap. ult. pag. 433.* Quod tamen restringi potest, si necessitas aliud suadet, veluti si instituat alienatio vel permutatio territoriorum ad tollendas discordias inter vicinos Principes occasione territoriorum ebullientes, hoc enim casu, sicut Medico licitum est, unam partem corporis tollere, ut reliquum corpus ab infectione custodiatur, & Magistratui domum peste infectam comburere, ut tota civitas ab interitu quasi vindicetur, *l. 7. §. 4. ff. quod vi aut clam. l. 3. §. 7. ff. de incend. ruin. naufrag.* ita Principi licere puto, partem Reipublicae distrahere, ut reliquam tuto possidere liceat, ne illud quod pro conservanda Republica introductum est, in perniciem ejus convertatur, *Clariss. Dn. Christoph. Besold. allegat. loc. Herman. Lath. de cens. lib. 1. cap. ult. Petr. Heig. part. 1. quest. Jur. civil. & Saxon. quest. 19. n. 20. & seqq.* Ubi tamen quod probe notandum, subjicit non sufficere ad alienationem ut subsit necessitas aliave causa justa, verum hoc insuper requiri ut de ea quoq; cognoscatur, veluti in alienatione praediorum minorum fieri consuevit, *tot. tit. C. de praed. minor. absq; decreto non alienand.* quorum jure regulariter Respublica quoq; gaudet, *Heig. d. l. Everhard. in top. legal. à pupillis ad Rempubl. l. Respublica*

Respublica C. ex quib. caus. major. l. Rempublicam 3. C. de Jur. Reipubl. l. 9. ff. de appellat. Christoph. Besold. 1. pol. cap. ult. fol. 497. propter eandem rationem minorum & Reipublicæ, cum ex utraq; parte per personas alienas gubernentur.

V.

Porro Majestas hæc realis innititur legibus fundamentalibus, easq; comprehendit, quibus sublatis ipsam quoq; Rempublicam omninò vel interire, vel ad minimum mutari necesse est. *Christ. Besol. alleg. loc. Math. Bort. apud Arum. vol. 1. disc. 30. de Naturâ. Jur. Majest. cap. 2. th. 2.* Hujusmodi leges fundamentales in Imperio nostro Romano Germanico, sunt Cõstitutio Pacis Religiosæ, quæ unicum illud adamantinum vinculum, quo Imperij nostri reliquiæ & ferro lutei pedes conservantur à dissolutione & ruinâ: *Petr. Syring. de Pac. Relig. apud Dom. Arum. vol. 2. disc. Academ. 10. th. 2. Lit. a.* Aurea item Bulla partim Norimbergæ, partim Metis promulgata, *Dom. Arum. ad Aur. Bull. disc. 1. th. ult. contra Peuc. lib. 5. Chron. qui eam totam Metis promulgatam arbitratur, argumento Aurea Bullæ Sigismundi Imperatoris in verbis, In dem Gesetz seiner Keyserlichen Gûlden Bull zu Neg gemacht.* & alia multa quæ in Recessibus Imperij habentur: In Gallia Lex Salica, in Polonia statuta regni, quæ non solum scriptis sed etiam moribus continentur. *Herman. Kirchn. de Republ. disp. 6. th. 3. Lit. a.* Quæ leges fundamentales, Utrum à Majestate personali tolli possint, quæstionis est? Licet autem hæc quæstio, ut cum *Christ. Besold. de Jurisdic. Imp. Romanogerman. quest. 17.* loquar, sub piis Imperatoribus, qualem nunc Dei gratiâ & clementiâ habemus, Ferdinandum II. Imp. invictissimum, inutilis, sub impiis vero admodum periculosa sit, nilominus tamen, non decidendi sed differendi causa animo puriore ab affectibus ac sedatiore judicium meum exponam, negantium sententiam veriore sequentibus rationibus suffultam ostensur⁹. Primo enim, licet legibus Princeps solutus sit, *l. princeps ff. de leg. l. 3. C. de testament. l. 3. digna vox C. de leg. l. penult. ff. de donat. int. vir. & ux. l. si quis argentum. C. de donat. l. ex imperfecto 23. ff. de legat. 3. l. 14. §. 1. ff. de manumiss. §. ult. Inst. quib. mod. testam. infirm. Paul. 4. sentent. 5. §. 3. cum nemo sibi ipsi imperare queat, l. penult. ff. de recept. qui arb. recep. ut sentent. dic. l. 22. in prin. ff. de legat. 3. Henning. Arnif. de Jur. Majest. 1. cap. 7. n. 3. & in oratione semper intelligatur excepta*

B

persona



persona loquentis, l. 18. C. de solution. Jacob. Menoch. 3. presumpt. 44.
legibus tamen fundamentalibus tenetur, idq; tanquam ex contra-
ctu cum subditis inito, §. Und damit solcher Fridt. vers. So sollen die
Kaiserliche Majestät wie auch Churfürsten vnd Stände ic. Recess. Imp.
de Anno 1555. quem observare tenetur. Bl. & Dd. communiter in l.
princeps. ff. de leg. Wesenbec. in w. ff. de constit. Princ. Richard. Dieter.
de summ. Imp. potestat. th. 45. Gothfred. Ant. disp. apolog. advers. Herm.
Vult. Ictum Marpurgens. de Imp. potest. leg. solut. per tot. Henric. Bru-
ning. de Variis Univers. spec. th. 4. Secundò, Ejus est abrogare, qui po-
test & promulgare, l. nil tam naturale. ff. de divers. R. I. quia argume-
tum à causis destruentibus ad causas constituentes valet. Quir. Cu-
bach. lib. brocard. cap. 15. brocard. 18. Atqui leges fundamentales non
ab ipso solo Principe, sed omnibus simul adhibitis Statibus consti-
tuuntur; prout in Constitutione Aureæ Bullæ exprimitur, in proæ-
mio in verbis: In gemeiner Versammlung vnd gegenwart Aller/ & in
Constitutione Pacis Religiosæ de Anno 1555. §. Wiewol nun auff vorigen
Reichstagen ibi. haben wir vns mit den Churfürsten vnd sie sich hinwiederumb
mit vns verglichen. Perr. Heig. part. 1. question. Jur. civil. &
Saxon quest. 7. n. 10. in §. fin. Recess. Imp. Anno. 1548. & 1542. E. nec à
solo Principe poterūt annullari. Tertio, Si Princeps Majestatem realē
comiter observare tenetur, nisi homicida propriæ Majestatis, quæ
reali Majestati innititur esse velit, sequitur, quod nec Leges funda-
mentales, quibus Majestas realis comprehenditur, tollere possit.
Atqui prius est verum: Ergò etiam posterius. Quarto huc facit,
quod Principes principatum aliquem ambientes certis capitulationi-
bus solent adstringi; eorumq; potestas maximè circa abrogatio-
nem legum fundamentalium limitari solet, ut videre est ex capitula-
tione Caroli V. apud Sleid. lib. 1. comment. de stat. Religion. & apud. Gol-
dast. in Statut. & Rescript. Imperial. fol. 4. & in Constit. Imperial. tom. 2. fol.
141. quas capitulationes, nonnunquam ben Fürstlichen Ehren/ver-
bis juramento æquipollentibus, ac vim Juramentorum non à for-
mâ, Baccov. in animadvers. Trentl. vol. 1. disp. 21. th. 1. sed generali
Germaniæ consuetudine, Myns. cent. 1. observ. 17. Wesemb. in w. ff.
de jurejurand. Hering. de fidejussor. cap. 27. part. 1. num. 298. Hun. resolut.
Trentl. disp. 21. th. 1. Hillig. lib. 21. Donell. enucleat. cap. 13. quoad obser-
vantiam

vantiam contractus *Gail. 2. observ. 49. Petr. Siring. apud Arum. vol. 2. disc. Acad. 10. th. 17. Lit. a.* habentibus: ne contra venire possint, confirmare coguntur, ut hoc casu iis non minus quàm aliis fidem fallere grave sit, *l. 1. ff. de pact.* imo gravius tantò, quantò major exuberantia bonæ fidei in Principe requiritur, cuius vox debet esse oraculi loco, nec ullo modo vacillare, etiamsi apud omnes fides exulare jubeatur, quo pertinet illud Philippi Hassiæ Landgravij dicere soliti. *Wey drey dingen soll man einen guten Fürsten erkennen/ erstlich bey reiner Strassen/ zum andern bey guter Mühs/ dann zum dritten bey haltung seiner Zusage.* Et hanc sententiam sequitur *Aurum. ad Aur. Bull. discurs. 1. thes. 2. Martin. Rymmel. part. 1. diff. ad Aur. Bull. diff. 1. th. 9. Gerlac. Buxtorff. ad Aur. Bull. cum aliis alleg.* Nec infringunt sententiam nostram contrariæ opinionis fundamenta, quæ eo potissimum diriguntur, quòd Princeps successorem suum obligare non possit, quodq; par in parem imperium non habeat, *l. 13. ff. ad. S. C. Trebellian. l. 14. ff. de Jurisdic. l. 3. §. ult. ff. de recept. qui arb. recep. ut sent. dic.* etiamsi obligatio præ decessoris ex contractu descenderet. *Bl. in l. 1. ff. de Constit. Princ.* Sciendum enim est, regulam illam officium suum perdere, in iis, quæ ratione dignitatis & officij contracta sunt. Illa enim ad successores transeunt. *Quir. Cubach. lib. 1. Jurispr. Rom. publ. lib. 1. cap. 4. Math. de Afflict. in cap. un. qui success. teneantur Christoph. Besold. de Success. Reg. lib. 1. dissert. 1. n. 6. Heinric. Bruning. de Var. Univers. spec. th. 3. Lit. b. circa fin. Arum. ad Aur. Bull. disc. 4. thes. 24. fol. 258. ubi plures in hanc sententiam Frid. Prukman. Tib. Decian. & alios citat.* Unde cum legum fundamentalium quoq; contractus ratione dignitatis & officii cum Imperatore celebrentur, quia in iis Imperium per Imperatorem & Principatus per Principem pacisci intelligitur, *Christoph. Besold. de Jurisdic. Imp. Romanogerm. quest. 12.* sequitur, quemadmodum Imperatore mortuo dignitas ejus tamen, nilominus non intermoritur, sed perpetua remanet: ita etiam obligationem respectu dignitatis contractam ratam ac salvam manere. *Christ. Besold. alleg. l. c.*

VI.

Ex dictis certum est, leges fundamentales, vi Majestatis personalis à Principe solo, à quo non fluxerunt, tolli non posse: Succedit nunc ut quæramus. Utrum leges fundamentales ab iis à quibus

constitutæ sunt, Regni scilicet ejusq; Proceribus indistinctè abrogari possint? Quod primò quidem intuitu affirmandum videtur: Cum is qui legem tulit, & abrogare eam possit, nec quispiam possit sibi legem ponere à quâ eidem recedere non liceat *arg. l. niltam naturale ff. de Reg. Jur. Quir. Cubach. brocard. 18. cap. 15. l. 1. ult. C. de leg. & Const. Prin. Donell. 1. commentar. Jur. civ. cap. 12. & ibid. Oswald. Hil- lig. in enucl. Petr. Syring. de Pac. Relig. th. 49. l. c. apud. Arum. vol. 2. disc. Academ. disc. 10.* Veruntamen magis est, ut his non attentis negativam tuear, nec nisi urgente necessitate publica, vel alia utilitate & causa æquipollenti abrogationem Proceribus concedam, cum *Petr. Heig. part. 1. quest. Jur. civil. ac Saxon. quest. 5. num. 1. & 2. Math. Bort. apud Arum. d. disc. 30. cap. 1. th. 19. Quirin. Cubach. Jurisp. Rom. publ. cap. 4. Lib. 1. idq; propterea: Quia nec Statibus licet committere in salutem Imperij. Sleid. Lib. 1. commentar. de stat. Relig. Cub. d. l. Jurisp. Rom. publ. Sunt enim Status, ut loquitur Iohan. Norderman in disp. de Jur. Princ. th. 37. in nucl. disp. Jur. pub. Gisse edito. adsciti in partē curarum Reipublicæ, ut justitia rectè administretur, Respublica pro parte sibi commissà piè regatur, non ut destruat; quòd destructione legum fundamentalium fieri necesse est, ut dictum. *Petr. Heig. part. 1. quest. Jur. civil. & Saxon. d. quest. 5. n. 1. 2. & 3.* Ampliatur hoc, ut non tantum procedat sententia hæc negativa quoad pluralitatē votorum, quòd scilicet circa harum legum abrogationem, majora vota reliquis non consentientibus Statibus præjudicium nullum creare possint, quia jus singulis quæsitum est, & ideò etiam singulorum assensus necessarius: *Zach. Viet. de caus. exempt. Rom. Imp. conclus. 5. cir. fin. Christoph. Besold. de Jurisdic. Imp. Roman. cap. 1. & Lib. 1. pol. cap. 2.* verum etiam indistinctè, quando singulorum consensus intervenit, quia adhuc illo casu ratio suprâ posita militat, ac consequenter abrogationem legum fundamentalium inhibet, quæ ubi cessaverit, contrarium admitto.*

VII.

Haftenus de Majestate Reali, sequitur nunc Personalis Majestas. Quæ est summa, perpetua, ac legibus soluta potestas, Principi vel aliis Majestatem habentibus in sibi subjectas personas competens. Quam definitionem, quia totam Personalis Majestatis essentiam sub se complectitur, ordine per singula attributa Majestatis cōsiderabo.

Primum

VIII.

Primum igitur Majestatis attributum est, quod dicitur *Summa potestas*. Ubi vocabulum *summa* non est relativum, respectum habens ad inferiora, quod quidem voluit *Dn. Tob. Paurm. de Jurisdic. Lib. 1. cap. 3.* ubi propterea perperam per illud vocabulum Majestatem definiri putat, sed simplex, eam tamen vim habens, ut teste *Herman. Kirchn. de Republ. disp. 2. th. 3. sub Lit. d.* sine ullo comparationis respectu id quod augustissimum, maximū, amplissimum est, absolute denotet, quemadmodum ipse *DEUS* summus, optumus, maximus, licet respectus ejus ad inferiora nullus esse possit, appellatur. Pervocabulum itaq; *summa*, nil aliud quam potestas amplissima, augustissima ac maxima, à solo Deo dependens, licet ab alio tanquam causa instrumentali collata sit, denotatur. *Christ. Besold. Lib. 1. pol. cap. 2. num. 17.* Unde illa Majestatis orta elogia, quibus potestas divina, de coelo delapsa dicitur, vide *Camman. de Jur. Majest. disp. 1. th. 18.* Hinc descendit, quod ὁ βασιλεὺς ὡς Θεὸς ἐξ ἀνθρώπων Rex Deus quispiam humanus, ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες ex Jove Reges, *Lips. 2. polit. cap. 2. pag. 63.* & Magistratus ministri *DEI*, *Psal. 82. auth. habita C. ne fil. pro patr.* appellantur, ipsiq; Principes Majestatem suam soli *DEO* acceptam ferunt, *Novell. 82. cap. 4. l. fin. C. de Legibus & const. Princ. Thom. Mich. de Jurisdic. Imp. Rom. Germ. conclus. 2. Mart. Rymel. part. 3. dissert. ad Aur. Bull. th. 3. Ioach. Cluten. syll. rer. quotidian. conclus. 4. sub. Lit. E. seq;* Dei providentia ac Dei gratiâ (von Gottes Gnaden) constitutos scribunt. Quo titulo nemini hodie (quamvis olim secus fuerit, & antehac etiâ inferiores Magistratus ac Notarios in instrumentis hunc titulum usurpasse legamus apud *Bodin. 1. de Republ. pag. 276. Tileman. allegat. à Bort. apud Dom. Arum. disc. Academ. vol. 1. disc. 14. de legat. & legation. th. 18. Lit. a. pag. 117.*) nisi summa potestate prædito uti licere apparet, exemplo Ludovici XI. Galliarum Regis, qui in titulo Ducis Arminiorum Francisci, verba Dei gratiâ, tolerare noluit, perhibente de eo testimonium *Bodin. lib. 1. de Republ. ut refert Herman. Kirchn. in legat. lib. 1. cap. 3. num. 2.* Nisi id speciali quis privilegio indultum habeat, prout Principibus Germaniæ indultum putat, *Math. Stepban. de Jurisdiction. part. 2. cap. 2. allegat. à Besold. Lib. 1. polit. cap. 2. num. 12.* quamvis reperiantur, qui cōtradican, ipsosq; jure, eo nempe i respectu, quo talem potestatem

in provinciis suis, qualem Imperator in Imperio habere dicuntur
communiter à *Dd. Arum. disput. feudal. 3. th. 14. in not. Keckerman.*
Lib. 1. pol. cap. 32. in fin. Christoph. Besold. d. l. & disc. de Jurisdic. Imper.
Rom. Germ. quæst. 16. & 18. Barth. Musc. disp. de confrater. in disp. Basi-
liens. th. 23. hoc titulo gaudere putent, ut videre est apud Bort. in dict.
disp. de legat. & legat. th. 8. Lit. a. apud Arum. vol. 1. disc. 14.

I X.

Circa hoc autem primum attributum sequentes quæstiones
tractandæ occurrunt. I. An, quia à me dicta est Majestas summa
potestas, ea dependere possit à Pontifice? II. An quia Præsules Ro-
mani adhuc specialibus quibusdam prætensionibus in Imperium
nostrum Romanum utuntur, Imperatores nostri Majestatem suam
illis acceptam ferre debeant? III. Utrum Majestas soli Imperatori
Romano Germanico deferenda, reliquis verò omnibus Principibus
ac Rebus publicis, ut eo inferioribus ac de Jure subditis deneganda?
IV. An Majestas de Rege Romanorum, vivo ipso Imperatore, minus
tamen vel propter senium ingravescens vel alias rationes ad admi-
nistrationem omnem idoneo, electus, ut ipsi quoad administratio-
nem subveniat, prædicari possit? V. Quid de eo qui feudum ab alio
recognoscit sentiendum, an respectu Regni non feudalis Majestatis
retinere possit, & quid de Clientibus dicendum? VI. Quid de iis
qui annuas pensiones ad redimendas incursiones & populationes
agrorum bono publico aliis præstant? VII. Deniq; Quid de iis, qui
subditis sub initium Regni juramento sese obligant, & an per hoc
Majestati suæ detrahant, statuendum?

X.

Quod attinet primam quæstionem communiter quidem affir-
mativa defenditur à Pontificiis *Dd. Dn. Marta. de Jurisdic. part. 1.*
cap. 18. & mult. seq. Gig. in tract. de Crim. Les. Majestat. lib. 1. Rubr.
Quotuplex sit Majestas. num. 3. Rubr. qualiter & à quib. committ. crim.
Les. Majest. num. 1. Francisc. Boz. passim. in libell. suo de temp. Pontif.
Monarch. Bellarm. & aliis. qui uno ore non tantum omnes Princi-
pes vasallos Põntificis faciunt, eiq; jus deturbandi Principes de folio
Majestatis tribuunt; verum etiam præter temporalia divina eidem
subjicere non verentur, cap. inter. cap. quanto. Extr. de translat. Episc.
cap. si Papa distinct. 40. Bald. in l. ult. C. de sent. rescind. quod quo jure
faciant,

faciant, ex negativa sententiæ confirmatione patebit, quam & ego
cum Dd. non solum nostræ, ut *Henning. Arnif. de exempt. clericor. ca.*
4. & 5. Christoph. Besold. lib. 1. polit. c. 2. num. 14. & mult. seqq. & in
tract. de Jurisdic. Imp. Romanogerman. quest. 5. Thom. Michael. de Ju-
risdic. Imp. Roman. conclus. 34. Petr. Molin. in libell. de temporal. Mo-
narch. Pontif. Joachim. Cluten. Syllog. rer. quotidianar. th. 4. & 5. Dn. D.
Rheinkingf de Regim. secular. & Ecclesiast. class. 2. c. 5. Lib. 1. verum
etiam Pontificiæ Religionis addictis, *Petr. Ferrar. Ant. Peregrin. Carol.*
Molin. Nicolao Boer. & aliis à supracitat. DD. allegatis. defendendâ
suscipiam, Juri divino, ex parte etiam Canonico, constitutionibus
Principum ac observantiæ communi repugnantem contrariam
ostensurus: Juri divino affirmativa repugnat; Quia eo nulla Pontifi-
ci præ eminentia, ut præsit Principibus conceditur, sed potius ut
subsit requiritur, sive Vetus sive Novum Testamentum evolvamus.
In Veteri namq; Testamento DEUM, cum Magistratum politicum
constituisset, ipsius potestati & Aaronem sacerdotem subjecisse,
prout Aaron Moysen Dominum agnoscit & colit, *Exod. 22. vers. 23.*
Moysen sacerdotibus jura præscripsisse, *Exod. 10. vers. 22. cap. 22. vers.*
20. ca. 24. vers. 24. Levit. 1. vers. 1. & 20. iisdemq; delinquentibus pœ-
nas promeritas inflixisse, *Levit. 4. vers. 3. & tandem Principes sacer-*
dotibus imperasse, *1 Reg. 1. vers. 32. 1 Reg. 2. expressè legimus. In*
Novo vero testamento quid aliud quàm hoc ipsum legitur, quod
patet 1. ex *Actor. 25.* Ubi Apostolus ad Cæsarem ipse provocat, &
ab eo tanquam Magistratu Politico judicari se oportere contendit.
2. *Iob. 18.* Ubi Christus, cujus idem se vicem gerere gloriatur, regnū
suum non esse de hoc mundo dicit. 3. *Matth. 20.* Ubi discipulis do-
minari gentibus inhibuit. 4. *Iohan. 6. vers. 1.* Ubi cognoscens Chri-
stus populos venturos, ut eligerent illum Regem in montem fugisse
refertur, ad hoc scilicet, ut ostenderet *summam Regni spiritualis ac se-*
cularis discrepantiam. 5. *Rom. 13.* Ubi omnis anima jubetur esse sub-
jecta potestati temporali, & consequenter etiam Pontifex, cum ne-
mo eum ab Universitate exemerit: multo minus potestati tempera-
li præposuerit. Quod ad Jus Canonicum; Adversatur affirmativa.
1. cap. per venerabilem. Extr. qui fil. sint leg. Quod Regem Franco-
rum in temporalibus neminem superiorem agnoscere concedit,
eoq; ipso in Principes superioritatem Pontifici adimit. *2. cap. quo-*
niam.

niam. dist. 16. cap. nos si in competenter. caus. 2. quæst. 7. quibus contrarium asserti videtur. 3. notabili text. in cap. duo sunt. dist. 96. ibi dua sunt persone quibus mundus regitur, sacerdotalis & Regalis. Unde bene concluditur, eo modo, quo præsumunt Reges in causâ seculi, præesse sacerdotes in causâ D E I, magnamq; esse omninò distinctionem Jurisdictionis temporalis & Ecclesiasticæ, prout etiam distinguuntur in cap. 5. clericum. distinct. 50. & in cap. nisi. de renunciat. & in tantum etiam, ut una cum altera misceri nullo modo queat, Bernhard. Lib. 2. Consid. ad Eugen. Henning. Arnif. in tract. de exempt. clericor. c. 1. Ioa-chimus. Cluten. Syllog. rer. quotidianar. th. 3. Lit. B. nec una ab altera dependeat, cum determinatio una respiciens duo determinabilia æqualiter determinet, l. quamvis C. de impub. & al. substitut. l. jam hoc jure ff. de Vulg. & pupill. subst. & in separatis, quorum ratio separata est, non inferatur de uno ad aliud. l. si maritus ff. de donat. int. vir. & uxor. Everb. loco à separatis. per totum. Adversatur in super. 4. tot. tit. extr. ne cler. vel Monach. secular. neg. sese immisceat. Ubi opprobrij loco habetur clerico, peritia rerum secularium sese imbutum ostendere. Contrariatur deniq; affirmativa cap. cum ad verum. dist. 96. In quo expressè fatetur Nicolaus Pontifex, Pontifices in secularibus negotiis legibus ac Cōstitutionibus Principum sese submittere debere. Constitutionibus Principum affirmantium sententia repugnat: Primò, quoad expressos text. in l. repetita 41. ibi absurdum enim Clericis est & c. l. 17. placet in prin. C. de Epis. & Cler. qua ll. consentiunt cum tot. tit. extr. ne cleric. vel Monach. reb. secul. se immisc. Kitz. in Synops. matrimonial. ca. 3. theorem. 3. Lit. a. sub fin. 2. Repugnat tot. tit. C. de stat. & imagin. tot. tit. C. de her. & Manich. t. t. C. de summ. Trin. tot. tit. C. de Sacrosanct. Eccles. tot. tit. ff. & C. de feriis. & dil. t. t. C. de Apost. & aliis. ex quibus constat, rerum quoq; spiritualium curam ad Magistratum politicum pertinere, ejusq; potestatem certo modo ad eas se quoq; extendere. Restat, ut quomodo observantiæ reclamet demonstramus. Eam itaq; si penitius introspeciamus, si falsa affirmativa opinio alicunde perspici potest, ex hac utiq; potest, ut quæ testetur, non solum Principes, si ad antiquiora tempora recurramus, jura & constituendorum & deturbandorum Pontificum habuisse, (in tantum ut etiam Pontificum deponendorum facultatem sibi conjuges illorum sumserint, velut exemplo Theodoræ Justinia-

Justiniani Imperatoris conjugis, quæ Sylverium Campanum, adjuvante Antoninâ Belisarij Ducis uxore, in Pontum relegavit, teste Wolfio tom. 1. *Lectio. memorab. centenar. 6. pag. mibi 162.* manifestū est) & in deliquentes pro gravitate delicti animadvertisse: verum etiam ipsas quoq; Ecclesiasticas personas in persecutionibus sub Imperatoribus factis, ad exemplum Christi Salvatoris minimè jurisdictioni seculari contradixisse, quos incompetenti judici sese submississe, & ob id ex doctrinâ illorum in *cap. significasti. & cap. cum diligenti. extr. de for. compet.* mortaliter peccasse nec ipsi dixerint.

XI.

Ex refutatione primæ opinionis quia satis constare potest, Pontificis nullam potestatem vel Jurisdictionem esse in Principes in genere: sequitur in ordine quæstio secunda de specie concepta, quâ quæritur: Utrum Imperium nostrum, quod rectè adhuc quidem hodiernis temporibus avulsâ ab eodem urbe Româ, Romanum, *Arum. vol. 1. disc. Acad. disc. 2. per tot. Martin. Rymel. dissert. ad Aur. Bull. part. 1. dissert. 1. Theodor. Rheinlingk. de Regim. Secul. & Ecclesiast. class. 2. cap. 2.* honorificentius autem Germanum appellatur, cum Beroald. quem citat & sequitur *Herman. Kirchn. de Republ. disp. 2. auctor. 2.* Præsulem illum Romanum superiorem recognoscat, vel ab eo Majestatem suam habeat: In quâ quæstione contra Canonistas Imperium Occidentis à Pontifice in Imperatorem translatum cum Pontificiis assertatoribus. *Zonar. tom. 3. annal. in vit. Constantini, Abb. Ursperg. Otton. Frising. aliisq; relatis à Joachim. Cluten. in syllog. rer. quotidianar. th. 4. Lit. D. vicariatum Imperium, Extravag. Johann. XXII. tit. ne vacant. sede aliquid innov. jus de folio pro placito deturbandi Imperatorem, cap. un. Clem. de Iurejurad. cap. venerabilem extr. de elect. & elect. potestat. ad Pontificem spectare, Electores Imperij jus eligendi ab ipsâ Ecclesiâ Romanâ collatum possidere, cap. venerabilem extr. de Elect. & elect. potestat. Onuphr. Panvin. in libell. de comit. Imperial. Imperatorem, ut Pontifici fidelitatem juret, cogi, cap. tibi Domino. dist. 63. Jurisdictionem Imperatori accedente deinum coronatione Papali tribui, Otrad. conf. 9 n. 7. vers. 2. & alij quos recenset Christ. Besold. in tract. de Jurisdic. Imp. Roman. quest. 5. per tot. adeoq; Pontificem Imperatori quantum Sol Lunæ, aurum plumbo, c. soli de. §. præterea nosse debuerat. Extr. de majorit. & obedient. anima-*

C

corpori,

corpori, *cap. duo sunt eum seq. distinct. 96. prestare, asserentes, ne-*
gativam cum Clariss. Dn. Besold. de Jurisdic. Imp. Rom. Germ. d. l. Dn.
D. Rheintingf. de Regim. secul. & Ecclesiast. Class. 2. cap. 3. & 4. Ioach.
Cluten. syllog. rer. quotidian. th. 4. Thom. Michael. de Jurisdic. Imp. Rom.
German. conclus. 6. propugnabo. Utq; maxime hoc faciam, moveor
non solum rationibus prioris opinionis omnem jurisdictionem se-
cularem Pontifici adimentibus, verum etiam aliis Constitutionibus
Imperatoriam Majestatem à solo DEO dependere confirmantibus,
Novell. 82. cap. 4. Novell. 183. cap. 1. l. fin. C. de L L. in primis verò con-
stitutione Ludovici Bavari Imperatoris gloriosissimi Coloniae
Anno 1338. promulgata, qua aliter & diversum sentientes crimi-
nis Læsæ Majestatis damnantur. Nec quicquam ab hac sententia
nos dimovere debent, præensiones illæ Canonistarum in Imperi-
um nostrum, ab initio quæstionis enumeratæ, siquidem si rectè eas
perpendamus, facilè iis satisfieri posse videbimus. Quod enim atti-
net primam, ea magni admodum momenti non est, quia Carolus
M. Imperium Occidentis non Pontificia, ut illi insaniunt, cessione,
sed partim Iure belli, partim populi Romani electione & acclama-
tione, CAROLO AUGUSTO à DEO ordinato Magno ac Pacifico
Imperatori, teste Marsil. Patavino. partim deniq; Imperatoris Con-
stantinopolitani assensu illud consecutus est, ut notat *Ioachim. Clut.*
syllog. rer. quotidianar. d. l. Henning. Arnif. de Jur. Majestat. cap. 1. & in
disc. de translat. Imp. Roman. per tot. Arum. volum. 1. discurs. Academic.
disc. 3. per tot. ubi hanc in rem allegat. Cuspinian. in vit. Carol. M. Egin-
hard. in vit. ejusd. & alios. Math. Bort. apud Arum. vol. 1. disc. Acad. 30.
de Naturâ Iurium Majestatis cap. 2. th. 5. Neque allegati in contrari-
um historici quicquam probare videntur, quam Carolo M. à Ponti-
fice fuisse impositam coronam: unde ad Imperij ipsius trāslationem
argumentari non licet, ut mox dicam. Quod ad præensionem se-
cundam de vicariatu Imperij, neq; illa ullam veri speciem continet,
quippe quæ nullo fundamento probari ac defendi potest, quam do-
mestico testimonio, quod pro inefficaci meritò habetur, *l. un. C. ut*
nem. in sua caus. cum Jure Constitutiones, quorum authores repro-
bantur rejiciantur, cap. fraternitatis. Extr. de heret. cap. licet ex quadā.
extr. de test. l. Mathematici C. de Episcopal. audient. l. nullus ff. de test. l.
etiam. l. 3. l. omnibus C. eod. Arum. ad Aur. Bull. disc. 3. th. 73. Martin.
Rymmel.

Rymmel. part. 3. diff. ad Aur. Bull. 4. th. 12. Tertiam si consideremus, quæ deponendi ac Imperatori potestatem suam abrogandi Pontifici jus facit, eodem fundamento quo & præcedens refutatur, eademq; qua asseritur facilitate rejicitur, nullo nisi domestico testimonio *cap. Apostolica. extr. de re judicat. cap. licet ex suscepto. extr. de for competent. cap. un. Clementin. de Iurejurand. suffulta.* Nec quarta robur ullum capit ex domestico testimonio, *cap. venerabilem extr. de Elect. & elect. potestat. multo minus ex autoritate Onuphr. Panvin. lib. de Com. Imp. jus eligendi Electoribus à Pontifice Gregorio in Concilio tributum esse affirmantis.* Non enim auctoritate, sed consilio tantum Gregorii Pontificis Electores constitutos esse concedimus, & hoc ideò, quia Gregorius ille Ottonis Imperatoris, cui origo Electorum communiter adscribitur, agnatus erat: quippe ex familia Saxonica oriundus. Porro ut procedamus ad quintam. Nego juramentum illud in *cap. tibi domino*, juramentum fidelitatis vel quod magis est, homagium esse, prout hoc interpretari videtur Pontifex in *element. de jurejurand.* quia aliud juramentum protectionis, aliud subjectionis est, ita ut quantumvis juraverit Imperator, se auxilio & ope sua non defuturum Pontifici adversus Berengarium tum temporis Pontificem bello petentem, & Italiam devastantem, ex eo tamen nulla subiectio inducatur, ne beneficium præstitum ipsi damno sit, *contra l. Paulus 8. in prin. ff. de prætor. stipul. Joachim. Cluten. syllog. rer. quotidianar. d. l. ubi & aliis rationibus argumentum ex cap. tibi Domino. Iohanni Pape. dist. 96. de sumptum, evertit, Cunrad. Rittershus. Lib. 1. partis Feudal. cap. 10. quest. 11. Cujac. Lib. 2. feudor. cap. 7.* Denique quod ad ultimam pertensionem qua dicunt Jurisdictionem Imperatori, accedente demum Pontificia coronatione tribui ea nulla est. Non n. passi sunt se Imperatores coronari à Pontificibus, quod Jurisdictionem per accessionem ritus illius sibi conferri putarent, sed quod cuperent per benedictionem sacerdotum conferri sibi ea à DEO TER. Opt. Max. dona, quæ exterior illa ceremonia præ se ferebat. Et hoc modo in Veteri Test. Reges, à Prophetis, qui temporalem potestatem, qua non pollebant, ipsis cōferre non poterant, inunctos legitimus: Sicut adhuc hodiè Rex Galliæ ab Episcopo Rhemensi, Rex Bohemiæ à Pragensi, Rex Poloniæ à Gnesnensi, Rex Daniæ olim ab Hafniensi hodiè vero à Roshildensi, coronari se patiuntur, non spe

consequendæ alicujus potestatis, sed amplioris benedictionis ad Imperij gubernationem accipiendæ gratia: Sicut & ipse Pontifex ab Hostiensi Cardinali coronatur, quem tamen Pontifici aliquid vel Jurisdictionis secularis, vel Ecclesiasticæ tribuere nec ipsi dixerint. vide *Herman. Lath. de cens. Lib. 3. cap. 17. Christ. Besold. 1. pol. 2. & in tractat. de Jurisdic. Imp. Romano German. quest. 5. Alberic. de Rosat. in l. bene à Zenone C. de quadrienn. præscription. Theodor. Rheinking de Regim. secular. & Ecclesiast. class. 3. cap. 8. n. 21. Bruning. de variis Universitat. specieb. th. 10. L. D. Arum. disc. 1. ad Aur. Bull. th. 20. Martin. Rymmel. part. 1. dissertat. ad Aur. Bull. 3. th. 15. per tot. & maxime circ. fin.* Præterea non tribui Imperatori Jurisdictionem coronationis Solennitate demum accedente, probat constitut. *Aur. Bull. cap. 2. §. Und wann von alter ic. quæ electo Imperatori, nulla expectata coronatione Pontificia, actus Jurisdictionales Imperij exercere permittit.* Id quod observavit dextrè Imperator Carolus V. cujus tamen exemplum acerrimè urgēt Pontificij, qui ab eo tempore, quo electus fuit, ante etiã coronationem Pontificiam, titulo Imperatorio eines erwöhsten Römischen Keyfers/ usus, plenam omnium rerum administrationem habuit. *Dan. Otto apud Arum. vol. 2. disc. Academ. disc. 25. An electus in Imperatorem ante approbationem & confirmationem Pontificiam jura Imperij administrare possit. per tot. licet postea, ut illi ajunt, humilimè ad pedes Pontificis abjectus Bononiæ Anno 1530. coronationem, & inaugurationem petierit, & quod magis Pontifici conceptis verbis se Majestatem ipsius comiter servaturum juraverit, ut vult Bodin. quod tamen à fide valdè videtur alienum.* 2. Idem confirmat constitutio Ludovici Bavari Colonix 1338. promulgata, quæ aliter sentientes Læxæ Majestatis reos proclamat. Tertio id ipsum probatur argumento ab ipsorum Pontificiorum fundamentis deducto. Nam dum illi tradunt confirmari Imperatorem electum à Papa, id concedant necesse est, Imperatorem prius esse priusquam confirmatur, quia id quod nullum est, confirmari nequit, *Dec. in l. semper qui non prohibet. num. 16. ff. de divers. R. I. cum non entis nullæ sint qualitates nec affectiones, l. si servum §. 2. ff. de action. empt. & qualitas sine subjecto esse nequeat, secundum tritum, l. ejus qui. ff. si cert. petat. Wesenb. in parat. ff. de probat. & præsumt. n. 6.* Quartò deniq; sententia hæc robur capit ex argumento ab absurdo deducto,

deducto, quod in Jure nostro fortissimum est. *Hartman. Pistor. lib. 2. quest. 29. n. 41. & quest. 13. n. 30. argumento l. 7. nam absurdum. ff. de bon. libertor.* Nam contraria admitta sententia hoc absurdum inde sequetur, Imperatores illos qui Pontificiam coronationem, ut ritum & ceremoniam non necessariam neglexerunt, ut Henricum Augustum: Maximilianum I. & II. & ante hos Rodolphum Habsburgensem, qui Italiam nunquam vidit, nec dum inauguratus est, sciscitantiq; quare ad Nicolai Pontificis petitionem non compareret, respondit, Ex Horat.

————— *at me vestigia terrent,*
Omnia te adversum spectantia nulla retrorsum.

deniq; etiam omnes modernos post Carolum Quintum Imperatores veros non fuisse, omniq; jurisdictione caruisse, quod ad alias innumeras absurditates & inconvenientias inde ebullientes, evitandas dicendum non est, nec dici absq; violatione S. Cæsareæ Majest. potest. Hisce non videntur obstare, quæ habet *Jacob. August. Thuan. Lib. 2. Historiar. pag. 46. & seqq.* Ubi scribit pacto conventum esse hoc modo inter Ottonem III. & Pontificem Gregorium V. ne quis diceretur Augustus, nec pro Imperatore haberetur, qui Pontificiam coronationem nondum accepisset; Nam puto illud pactum in præjudicium Imperij ac successorum contractum, & ab initio non constituisse, & expressè postea Constitutionibus Imperatorum, tacitè verò ipsius Imperij observantia invalidum pronunciatum esse, ut ex prædictis colligere licet. Quapropter cum tam ex hac quam præcedenti quæstione satis evicerim, Pontificiam Jurisdictionem in Principes seculares nullam esse, idcirco sicut meritò laudandus Augustus Elector Saxonix, qui nullam unquam potestatem Pontificis in Imperium nostrum agnoscere voluit, in tantum ut etiam in publicis Imperij Comitibus, cum de Calendarij Romani receptione ageretur, suasor existeret, nè reciperetur, propter verba Pontificis literis inserta, *Mandamus, volumus, precipimus,* Majestati Imperij repugnantia, *Herman. Kirchn. disp. 1. de Republ. auctar. 1.* ita quoq; jure vituperandum factum illud Mizislai & Uladislai I. Regum Poloniae, qui regio sese titulo abdicarunt, Romamq; miserunt petendum diadema regium, quod Pontificem conferre regna falsò putarent, *Crom. lib. 5.* frustra enim à Principe impetratur, quod Jure proprio

competit, *l. un. ubi D D. C. de thesaur. & ubi prohibitio abest, culpa considerari nequit. l. Grachus 4. C. ad L. Iul. de adult. Cravett. cons. 4. incipiente presupponitur. n. 21.*

XII.

Succedit in ordine quaestio tertia. An, quoniam probavimus, Imperatorem potestatem suam à nemine in terris, sed solo DEO recognoscere, Imperator solus Majestatem mundiq; universale Dominium habeat, ita ut si de Jure disputemus, omnes reliqui Principes orbis terrarum eidem sub esse dicendi sint, nec nisi de facto se se exemerint? Ubi discrepantes reperiuntur D D. opiniones. Affirmativam quidem defendunt, tam Pontificij, quam Juris Canonici Interpretes. *gloss. in cap. venerabilem. Extr. de elect. & elect. potest. in verbo, Germanos gloss. in cap. Adrianus. in verb. per singulas. in cap. super specula. in verb. non utuntur. extr. de privileg. & exces. privileg. Bart. in l. hostes ff. de captiv. & postlimin. revers. Bald. in l. deprecatio penult. ff. ad L. Rhod. de jact. Bart. in l. bene à Zenone C. de quadrien. praescript. Thom. Mich. de Jurisdic. Imperij. Romani. conclus. 9. 10. & 11. Joachim. Cluten. in Syllog. rer. quotidianar. th. 4. & seq. Treutl. vol. 1. disp. 1. th. 5. Lit. A. & ibid. Hun. in resolut. Dd. communiter. in l. 1. C. de summ. Trinit. Zach. Viet. de caus. exempt. Rom. Imp. conclus. 1. Henric. Bruning. de variis Universitat. spec. th. 2. Lit. B. & alij moti argumentol. 9. ff. ad L. Rhod. de jact. Verùm ego ne hoc idem sentiendo alios Principes injustos territoriorum possessores efficere velle videar, negativam cum Henning. Arnis. de Jur. Majestat. lib. 1. cap. 2. per tot. Besold. Lib. 1. pol. cap. 2. & de Jurisdic. Imp. Roman. german. q. 6. & in tractat. de appellation. cap. 2. Dn. D. Baccov. in Animad. Treutl. vol. 1. disp. 1. th. 5. Lit. A. ad verba, de facto recognoscant. Herman. Lather. de cens. cap. 1. Lib. 3. Martin. Rymmel. part. 2. disc. ad Aur. Bull. 6. coroll. 2. Bocer. de Regal. cap. 2. n. 101. tuebor. Primo quia certum est Romanos universale mundi dominium vel Imperium nūquam habuisse, sicut probatur ex *Novell. praefat. 24. ibi: totum pene terrarum orbem. l. 4. C. de commerc. & aliis text. quibus populi Romani limites ab aliarū gentium limitibus separantur, l. nondubito. ff. de captiv. & postlim. revers. l. hostes. ff. d. t. quo & restrictiones illae legum pertinent quos clementiae nostrae regit imperium, qui sub imperio nostro sunt, §. sed hoc tempore. Inst. de his qui sui vel alien. jur. sunt. §. ult. Inst. de parr. potestat. prin. Inst.**

Inst. de Nupt. ut ita nec omnes Principes de facto sese exemisse dici possit. 2. Quia etiam si hoc concederetur, Romanos omnes populos colla iugo suo subdere ferro coegisse, attamen cum non semper iustam belligerendi causam habuerint, non video, cur non licuerit populis de facto subactis, facto rursus sese eximere, & in pristinam libertatem vindicare? *Baccov. in Animadvers. Treutl. d. l.* Nec refragatur *l. 9. ff. ad L. Rhod. de jact.* quam pro contrario probando allegati Dd. inducunt. Nam Respondetur vocabulum, *mundi*, ibi synecdochicè tantum accipi pro parte, scilicet; *orbe Romano*, arg. *l. 13. ff. de stat. hom.* quod Imperator sit Dominus orbis Romani dominio universali non particulari, item quod ad protectionem, defensionem, ac Juris executionem, ut refert ex *Philipp. Melancht. part. 3. postill. pag. 570. Herman. Lath. de Cens. Lib. 3. c. 7.* Quæ vera sunt, si vocabulum, *Majestatis*, prout in potestate consistit accipiamus; non vero pro præ eminentia ac dignitate, prout aliquando sumi supra dictum est. De hac enim posteriori significatione si quæstionem nostram intelligamus, jam expeditum est: quod solus Imperator Majestatem habeat, quia omnes supereminet: *cap. 6. de re jud. Novell. 30. l. cum multa. C. de bon. qua liber.* unde etiam *Allerdurchleuchtigst* appellatur, *Dan. Ott. apud Arum. vol. 2. disc. Academ. 25. th. 2.* omnesque Principes ei primas lubentes cedunt, & Jure quidem, cum indubitata observantia respectu superioris esse debeat, qui nobilioribus ac præstantioribus imperat, *Novell. 15. præfat. in fin. VVesenb. cons. 50. n. 14. Math. de Afflict. tit. quis dic. dux. Ios. Nold. de stat. Nobil. cap. 15. n. 142.* quoque; nobilior est subiectum ac potentiores subditi, eo ipso quoque; Princeps illustrior reputetur. *Erasm. Rotterdam. de Inst. Princ. Petr. Syring. apud Arum. vol. 2. disc. Academ. 10. th. 14. pag. 195. Math. de Afflict. alleg. loc.* Quemadmodum etiam hoc intuitu Legati Imperatoris omnium aliorum Principum Legatis præponuntur apud portam Ottomannicam, etiam Legatis Regis Galliarum, ut contra *Bodin. in supplement. rer. Ottoman. Leonclav. exemplis demonstrat. vide Clariss. Dn. Christ. Besold. de Jurisdic. Imp. Rom. German. quest. 6. in fin. & 1. pol. c. 2. Arnif. Lib. 1. de Jur. Majestat. c. 2. n. 9. Herman. Kirchn. disp. 2. de Republ. auct. 2. Schönborner cap. 5. polit. ca. 6. der 101.*

Progre-

XIII.

Progredior ad quaestionem quartam. Utrum Majestas de Rege Romanorum Imperatore vivo in sublevationem onerum administrationis electo, praedicari possit? Cujus quaestionis resolutio cum dependeat ex ea, Utrum vivo Imperatore Rex Romanus eligi possit. videtur quidem necessarium esse ut haec posterior, nostram quaestionem praecedat, & sic ante decisionem hujus nostrae resolutio illius, Utrum scilicet vivo Imperatore Rex Romanorum eligi possit, fiat. Verum cum de istius quaestionis decisione affirmativa ex Aureae Bullae constitutione *cap. 1. in princ. ibi* Wie oft vnd wann es zu künfftigen zeitten noth sein oder sich begeben würde/ zu erwöhlen einen Römischen König zum Keyser zu machen/ *licet nonnulli ex eadem contrarium probare laborent ex. cap. 1. §. Wann es auch darzu kompt/ ca. 4. Wann vnd wie oft vorthin. & observantia Imperij constet, praetereaq; integri de eadem re discursus extent: Ob bey lebzeiten eines Keyfers könne ein Wahltag angestellt/ vnd ein Römischer König erwöhlet werden/ apud Goldast. in politischen Reichshändeln/ part. 2. fol. 136. item, In den Ursachen/ dardurch König Ferdinandi Wahl zum Römischen König angefochten worden/ apud eund. Arum. vol. 1. disc. Acad. 4. per tot. & disc. ad Aur. Bull. 2. th. 13. Martin. Rym. part. 1. disc. ad Aur. Bull. dissert. 2. th. 13. idcirco ne actum agere videar, missa prolixiori hujus tractatione, nostram quaestionem aggrediar. In qua quaestione tres potissimum diversas, Dd. opiniones reperio. Prima est illorum, qui distinguunt inter Majestatem Realem & Personalem, posterioremq; Majestatem Regi Romanorum derogant, priorem attribuent. Verum cum Majestas Realis ipsius Imperij non vero Imperantis sit, & ab hac tanquam fundamentum à suo fundamentato differat, opus non puto de hac quaestione pluribus agere. Secunda eorum est, qui quaestionem hanc simpliciter affirmativè defendunt, omnimodam Majestatem eidem attribuendo, quod facit, *Regn. Sixtin. de Regal. Lib. 1. cap. 4. Tob. Paurmeist. de Jurisdic. Lib. 2. cap. 5.* qui sequentibus movetur. I. Quia competit illi titulus regius, qui vix est ut sine Majestate subsistere possit *Richard. Dieter. de summ. Imp. potestat. th. 22. & 23.* 2. Quia omnes Reges Majestatem habentes antecedunt, quod illi ipsi nisi pari Majestate gauderet, admitturi non essent. *Ant. Quett. cons. 7.* Tertiò, Quia crimen Laesae Majestatis in ipsum*

commit-

comittitur. *Myns. decad. s. resp. 44. num. 14.* De quibus rationibus
mox ordine videbo. Tertia deniq; illorum est opinio, qui Majestati
ipsi in solidum denegant, licet eum vivum quasi exemplum Maje-
statis Imperatoriae non negent, cum quibus & ego sum: cum *Dom.*
Arum. disc. ad Aur. Bull. 2. th. 6. Christ. Besold. de Jurisdic. Imp. Rom.
quest. 13. Dan. Otto. de Jur. publ. c. 15. fol. 545. Iohan. Wolff. Amico ac
Fauctore meo plurimum colendo, apud Arum. vol. 2. disc. Academ. disc. 30.
th. 9. Lit. A. Georg. Gumpelzaim. apud Arum. diēt. vol. disc. Academ.
34. th. 135. Primo enim quia Imperatorem superiorem recognoscit,
Dan. Ott. de Jur. publ. d. l. Majestatem propriam illibatam retinere
nequit. 2. Quia omni Majestatis effectu destituitur, adeoq; nec
Majestatem habere creditur, quia causa arguit effectum: & ab effe-
ctibus rursus arguuntur causae. *Gedd. ad l. 21. n. 9. ff. de Verb. signif.*
Quir. Cubach. lib. Brocard. cap. 2. brocard. 4. Quod verò omni effe-
ctu Majestatis destituatur, probatur exinde, quia nullam Jurisdic-
tionem in subditos Imperii exercere potest, nisi quatenus hoc ei Im-
perator permiserit, ut patet ex verbis capitulationis Rudolpho II.
Regi Romanorum vivo patre Maximiliano electo, praescriptae in
hunc modum. Wir sollen vnd wollen vns auch keiner Regierung/ noch
Administration im H. Römischen Reich weiter oder anderst vnterzie-
hen/ dann so vil vns dessen von Keyserlicher Majestet vergünnet vnd
zugelassen wirdt/ Das wir auch ihr Keyserlicher Majestet die zeit ihres
Lebens an ihrer Hochheit vnd Würden des Keyserthumbs kein irrung o-
der eintrag thun sollen noch wollen. Cui convenit & illud quod refert
Sleid. lib. 8. commentar. de stat. Relig. nimirum Principes conventu
Swinfurti habito Anno 1532. certas Regis Romanorū eligendi cō-
ditiones praescribentes, inter alia petiisse à Carolo V. Imperatore,
ut edicto perpetuò valituro in posterum decerneret, ut Rex Roma-
nus electus non suo, sed Caesaris nomine Imperium administraret, nec
ullam sibi potestatem ac imperium in subditos arroget, Principes
verò ac Ordines Imperij ei nullā fide nec jurejurando teneantur.
Nec obstant rationes in contrarium adductae. Ad primam enim
respondetur, vocabulum *Regis* posse nonnunquam ut vocabulum
honoris etiam tribui omnipotestate carentibus, *Richard. Dieter. de*
sum. Imp. potest. th. 22. 23. Henning. Arnif. de Jur. Majest. lib. 1. cap. 1.
per tot. quia nulla vis est in nomine, sed in regimini ac ma-
gnitudine

D

gnitudine



magnitudine potestatis, *Bald. conf. 128. incipiente. Queritur si Rex Romanus.* Exempli nobis loco esse potest Rex Bohemiarum, qui non ob id quod Imperatorem subditus dominum recognoscit, minus dignus regio titulo videtur. *Rheinhardt König disc. de Majestat. th. 15. in fin. Mart. Rym. part. 3. dissert. ad Aur. Bull. 2. th. 9.* quemadmodum & Reges Lacædemoniorum, quibus pro lubitu abrogari poterat Imperium, & Regulus Romanorum, qui nil minus majestate habebat, Reges dicebantur. Ad secundam respondemus. 1. Id quod dictum de præcedentiâ ipsius, facile quidem concedi posse, quoad actus Imperiales, extra eos vero difficilimè, ex quo tamen non sequitur, Rex Romanorum alios Reges Majestate gaudentes in actibus Imperij præcedit: E. & Majestatem habet, quia & Rex Bohemiarum, quoad actus Imperij aliis exteris Regibus præfertur. 2. Concesso eò, quod præferatur aliis quoq; Regibus extra actus Imperium Romanum concernentes, responderi potest hanc præminentiam ipsi non tribui respectu aliquo ad Majestatem habito, quæ eum carere supra demonstravimus, sed propter spem certæ successionis in Imperio Romano, ob quam fortassis eo modo quo Imperator honoratur, argumento. *cap. in nomine. dist. 23.* maxime cum non rarò illud quod futurum est, juris interpretatione pro jam factò habeatur, *Bart. in l. pen. ff. de milit. testam.* & quod ad finem aliquem destinatum est, eo loco interpretatione Juris sit, ac si finem suum adeptum esset, *l. cetera 41. §. sed si paravit. ubi Dd. de re jud. leg. à Divo. 10. §. fin. & ibid. DD. de legat. 1. Wesenbec. in parat. ff. de sponsal. num. 7.* Ad tertiam deniq; respondetur. 1. dicendo crimen Majestatis in ipsum directò quasi Majestatem habentem non committi, sed tantum quasi in vivum aliquod exemplum Majestatis Imperatoriarum. 2. Respondetur non procedere argumentum, crimen Majestatis in ipsum committitur: E. majstatem habet. Fit enim ut consequenter hoc crimen in Majestate carentes committatur, id quod Consiliariorum & Electorum in Imperio, exemplo manifestum evadit, *Aur. Bull. c. 24. l. quisquis C. ad L. Jul. Majestat. Myns. respons. 44. n. 9. Henning. Arnif. de Jur. Majestat. lib. 1. c. 1. in fin.*

XIV.

Sequitur tractanda quæstio Quinta. Quæ (quia evenire potest, ut Majestatem habens feudum ab alio recognoscat, vel fidei ejus se
commit-

committat quæritur? Quid de Vasallis ad clientibus dicendum.
Utrum Vasalli quoad bona allodialia, & Clientes quoad ea bona,
quæ protectioni alterius commiserè, salvam Majestatem habere dici
possint? In quâ quæstione licet quidam distinguant cum *Arnif. lib.*
1. de Jur. Majestat. ca. 3. quoad primum membrum, inter personam
Regis & ejus regnum, & Regis personæ Majestatem denegent, re-
gno tribuant, non tamen dubito, cum *Dn. Vult. de feud. ca. 4. num. 9.*
& 10. Richard. Dieter. de sum. Imp. potest. th. 14. Reinhardt König *dissert.*
de Jur. Majest. th. 19. etiam ipsi Regi Majestatem suam defendere.
Cum nemo facile Imperatorem Carolum V. Flandriam, Ad rebates
& Hannoniam à Gallo, Mediolanensem & Geldriæ Ducatum ab
Imperio, à Pontifice vero Sardinia, Corsicæ, Arragoniæ & Neapole-
os regnum Jure feudi tenentem ob id in Hispanos Majestatem suam
non retinuisse, vel Daniæ Regem ob Ducatum Holsatiæ ab Imperio
profectum, propterea quoad Danos Majestate non gaudere dixerit,
nec absurdum etiam sit, unum aliquem duas personas alteram pro-
vincialem alteram vero regalem sustinere. *Math. Steph. lib. 2. de Ju-*
risdict. part. 1. n. 21. & seq. Quod vero ad secundum membrum quæ-
stionis nostræ, puta ad Clientes, nec iis etiam bonorū alicujus pro-
tectioni commissorum respectu Majestatem derogari posse puto,
quia Jus patronatus nullam subjectionem nec Jurisdictionem parit,
Schutz und Schirm gibt kein Obrikeit / l. 7. ff. de captiv. & postlim. re-
vers. Gail. lib. 2. observ. 84. Christoph. Besold. lib. 2. polit. cap. de foeder. De-
cien. cons. 58. n. 122. vol. 1. Br. in l. etiam. n. 2. C. de excusat. mun. Thom.
Maul. de homag. cap. 11. n. 10. & 11. Gumpelz ain. opud Arum vol. 2. disc.
Acad. 38. per tot. quia non minuendæ sed conservandæ Jurisdictionis
gratiâ inroductū est, sed eam tantum vim habet, ut nec alter alteri
pareat, nec imperet, sed ut alter alterius Majestatem comiter obser-
vare, sine ullâ Majestatis diminutione teneatur, *Bodin. de Republ. lib.*
1. pag. mihi. 103. Unde etiam hoc jus *Advocaria & patronatus* appella-
tur, similitudine ductâ à Patrono & Advocato causæ. Nam quem-
admodum Advocatus clienti suo exacto salario litis operam præ-
stare, *l. in honorariis ff. de extraord. cognit. l. un. C. de suffrag.* debet, ita
simili modo Advocatus noster, eos quos in suam clientelam recepit
solutio eo nomine annuo honorario ab injuriâ potentiorum tutos
servare tenetur, *Andr. Gail. d. l. Christoph. Besold. d. l. & 1. polit. cap. 19.*
& in tract. de appellat. c. 4.

XV.

Quid verò, ut ad sextam quæstionem deveniamus, de Regibus illis dicendum erit, qui singulis annis vel ad pacis conservationem, vel ad rapinas & incursiones hostium evitandas certam pecuniæ summam alteri persolvere coguntur, an & iisdem Majestas attribuenda erit? Affirmandum duco, quia præstatio illa ex enumeratis causis, vel ad depopulationes agrorum evitandas, vel incursiones hostium avertendas, vel pacis conservandæ gratia facta, tributum non est, quod subditi Magistratui in signum recognitionis solvunt, sed aliqua pensio tantum propter bonum publicum data, quæ subjectionem non parit. Sicut Majestati Imperatoris nostri nil officit pensio, quæ interdum ab eo Sultano Turcico, & quidem non Imperij sed exteri regni nomine puta Hungariæ solvitur, prout nec Majestas Turcici Imperatoris minuitur per pensionem, quam præstare solet Regi Æthiopum & Arabiæ, ut agro Damasceno liberè frui liceat. Quemadmodum nec pensio ista quam Principes nonnulli Pontifici ex conventionem solvunt, Majestati illorum detrahunt, vide pluribus de hoc argumento. *Henning. Arnif. de Jur. Majestat. c. 4. in fin. lib. 1. Herman. Lath. de cens. lib. 1. c. 2. Schönborner lib. 5. polit. c. 10. in fin. Bodin. de Republ. lib. 1. c. 8. Rheinhardt König dissert. de Majest. & ejus Jur. th. 20.*

XVI.

Restat circa primum Majestatis personalis attributum examinanda quæstio ultima: An Princeps jurans subditis, hoc ipso Majestati detrahere videatur? Affirmare hoc videtur Bodin. qui mero livore ac invidiâ nominis Germanici inductus, eò delabatur, ut dicat Imperatorem nostrum Romanum Majestate carere, eò solum, quia capitulationem in electione ab Electoribus præscriptam juramento aut verbis juramento æquipollentibus confirmare cogitur. Verum si assumserimus hoc argumentum Bodini, aut hanc ejus sententiam à veritate longè alienam, aut quod alibi de Monarchiâ Gallorum affirmat falsum, aut deniq; sibi ipsi contrarium Bodinum facile evincemus. Cùm enim Bodin. & Galliæ Regē jurare cōcedat *lib. 2. de Republ. c. 8. conf. Jun. Brut. Celt. in vind. contr. tyran. quest. 3. pag. 77.* nilominus tamen Monarchiâ Gallicā nullam magis regiam esse asserat. *2. de Republ. cap. 1.* sequitur aut prius falsum esse, quod de Impera-

Imperatore nostro calumniatur Bodin. aut posterius, quo Monarchiam Gallorum reliquis omnibus præfert, aut deniq; sibi ipsi contrarium esse idem de eodem affirmando & negando, quod quia ut & secundum de Monarchiâ Gallicâ non facile concessuri sunt Bodiniani, prius illud de Imperatore nostro ut evictum concedant necesse est. Deinde concessâ Bodini opinione, Principes, qui subditis jurant jura Regni sese illibata servaturos Majestatem suam eo juramento imminuere, sequetur, quia omnes ferè Principes excepto solo Imperatore Ottomañico, teste Hotoman. quem refert *Richard. Dieter. de sum. Imp. potest. th. 34.* subditis suis tempore ineundæ administrationis jurant, sicut de Hispaniæ & Angliæ Regibus testatur Bodin. *d. l. nullum Principem esse, de quo Majestas prædicari possit, id quod asserere tutum non puto. Arum. disc. Academ. vol. 2. disc. 2. Henning. Arnif. de Jur. Majestat. lib. 2. c. 6.* Deniq; juramenta illa quibus Principes se obstringunt ad utilitatem Imperij, jurisq; divini ac naturalis leges servandas, Juri divino ac naturali consentaneâ esse, nec superioritati quicquam derogare, declarari potest exemplo simili. Nam quemadmodum ille qui laudum suam æquitati & justitiæ conforme prolaturum juramento promittit, nilominus liberum arbitrium circa illud habet; licet sit æquitate ac legibus informatum: ita etiam putamus nilominus summâ ac solutâ potestate uti, qui justè sese regnaturum nec detrimentum regni moliturum juratò spōdet, vide *Christ. Besold. 2. polit. cap. 8. pag. 295.* Quæ de primo attributo sufficiant.

XVII.

Haftenus de primo Majestatis attributo, nunc de secundo, respectu cujus Majestas dicitur perpetua, id est dum Princeps vivit, *arg. l. 2. ff. pro soc.* non vero ad tempus vel certæ rei administrationem concessa. Neque enim sufficit ad Majestatis constitutionem aliquè summo uti Imperio summâve potestate pollere, sed hoc insuper requiritur, ut perpetuo non vero ad certum tempus, vel negotium certum illa potestate utatur, quemadmodum contra non sufficit ad constituendam potestatem hanc, aliquem perpetuò Principis vel Regis officium gerere, sed præterea etiam in ipso summa potestas desideratur. *Rich. Diet. de sum. Imp. potest. in disp. Basiliens. th. 22. Cl. Dn. Christ. Besold. 2. polit. 2. n. 30.* Ex quibus colligo Majestatem non

habuisse nec habere. *Primo* Dictatores illos Romanos tempore periculorum subitaneorum in Republica Romana constitutos. *Liv. lib. 2. 6. & pass. Val. Forst. 1. histor. Jur. Civil. cap. 16. Christ. Besf. lib. 1. pol. c. 7. pag. 259.* licet enim ij summam potestatem habuerint, ita ut etiam provocatione ad populum majores fuerint, *Christ. Besold. d. l. alleg. Bornit. de Majest. c. 1. Besold. in tract. de appell. c. 2. sect. 5.* ea tamen potestas perpetua non erat, sed talis, quæ causa cessante & ipsa cessabat. *Secundo* Consules Romanos, etsi enim iis ante Legem Valeriam de provocatione latam quoad summum imperium nil defuit, *Anton. August. de veteribus L. L. & Senatuscons. Romæ excus.* caruerunt tamen Imperio ad potestatem suam perpetuo, quod annuum habebant. *Tertio* Magistratus annuos Heduorum ac Rhodiorum, quorum prior Vergobretus, alter Prythanes dictus fuit, vide *Dn. D. Oswald. Hill. in Donell. Enucl. lib. 17. c. 7. pag. 55.* quamvis eos ut & priores summos Magistratus fuisse non negem. Aliud enim est summam Majestatem, aliud summum imperium ac potestatem habere, cum posterius tempus admittat, prius verò excludat. Et hoc respectu Magistratum à Principe distinguunt saniores Politici in tantum, ut nec appellatione Principis Magistratus, nec appellatione Magistratus Princeps contineatur, vide *Dn. D. Oswald. Hillig. in not. ad Donel. Enucl. d. l. Christoph. Besold. 1. polit. c. 2. n. 29. Scip. Gentil. de Jurisdic. lib. 2. c. 26. & lib. 3. c. 25. arg. l. 2. ff. de adopt. §. 1. Inst. d. r. Dissent. Dn. D. Bocer. in tr. suo eleganti de Jurisdic. c. 8. n. 53. arg. l. 2. §. quo ad Magistratus. ff. de O. I. qui & alia movetur ratione, quam ibi vide.* *Quarto* Prædictis annuero Reges eos, quibus subditi pro lubitu abrogare Imperium possunt. Quid enim Principibus his impotentius dici potest, quorum potestas ex sola voluntate plebis mutabilis in omnes formas dependet, cum vix Princeps aliquis adeò perfectus existat, qui non aliqua agat, quæ vulgum lædere posse videntur. Ex hujusmodi Regum numero olim fuerunt priscorum Burgundionum Reges, qui à Burgundionibus ob id tantum regno pellebantur, quod fortuna belli sub ipsis titubasset, vel quod proventus fructuum eo anno minus felix fuisset, *Marcell. lib. 27.* Reges item Gothorum, qui ideò tantum, quod subditis displicerent, recusabantur à Gothis, hanc solam causam ad pellendum Regem sufficientem esse posse putantibus, vide *Henning. Arnif. de Jur. Majest. cap. 6. lib. 1.*

Quinto

Quinto eodem jure censeo eos, qui vel propterea quod Princeps Regni incapax est, sive proptervitium naturæ, sive legis minorennem ab administratione arcentis, vel propterea quia Princeps Regni administrationi minus sufficiens est, gubernationi Principatus præficiuntur, ut sunt Proreges, tutores aliq; qui sublato impedimento vel causa officiū suum deponunt, & ob id vera Majestate carēt. Sexto deniq; & huc refero eos, qui vel ob fatū vel absentia Principis vacata Imperio lege aliqua ad administrationem ejus vocantur, quales vicarij sunt in Imperio nostro Romano Germanico Elector Palatinus & Saxo. *Aur. Bull. Car. IV. Imp. cap. 5. de Jur. Comit. Palatin. & Saxon. Duc.* de his namq; quia Electo Imperatore officium deponunt, quod Majestate careant, statuo, licet in nō exceptis eodē Jure, quo Imperator, tempore vicariatus utantur. *Quirin. Cubach. Jurispr. Rom. pub. c. 30. num. 5. Mart. Rymel. dissert. ad Aur. Bull. part. 2. dissert. 4. th. 28. Buxtorff. disp. ad Aur. Bull. th. 7. cum seq. Clariss. Dn. Besol. lib. 2. polit. c. 2. n. 34. & dissert. nomicopolit. de success. & elect. lib. 3. differ. ult. n. 3. & multis seqq. Thom. Michaël de Jurisdic. Imp. Roman. conclus. 29.*

XVIII.

Supereft ultimum personalis Majestatis attributum, quod sit potestas legibus soluta. Ubi duæ principaliter quæstiones tractandę occurrunt, quarum prima agit de veritate hujus assertionis, & generaliter tractat: An Majestas soluta sit legibus, quibus ac quomodo? Secunda verò ad speciem descendit, & An soluta legibus potestas ad Imperatorem nostrum Germanicum accommodari possit disquirat? De quibus ordine tractabo.

XIX.

De prima vero quæstione dicturo, ut apparere possit, quibusnam legibus Majestatem solvam, & quarum observationi adstringam, distinguenda sunt ante omnia jura & leges in quinque classes, divinas scilicet, naturales, gentium, fundamentales, positivas deniq; & civiles. Primam classem si intueamur, neminem opinor adeo improbum futurum, qui legibus istis Principem in Monarchia, collegium in Aristocratia, populum in Democratia solutum esse affirmare audeat. Quod si quis tamen erit, qui illud ex eo fortassis, quod Principibus omnia liceant, iisq; omnia, quæ placuerunt, justa ac honesta sint, asserendum putaverit, eum jubeo secum voluere & exami-

& examinare illud, quod Princeps respectu legis divinæ considera-
tur, nō ut Princeps, sed ut subditus Dei & privatus, *c. z. c. non licet. dist.*
10. c. qua contra. dist. 8. quodq; apud Deum respectus personarū nullus
habeatur, qui nō solum inferiores, verum etiam Principes delinquē-
tes, tantò atrocius quantò conspectiores sunt peccantes punit, ac
veluti magnas arbores, quæ multis annis creverunt, una hora unoq;
ictu extirpat, prout se facturum minatur *Oseas. vers. 10. Amos. cap. 9.*
easq; minas ad effectum perductas legimus undiq; in sacris & pro-
phanis historiis atrocissimis tyrannorum suppliciis refertis, ut vide-
re est apud *Ant. de Guevar. cap. 23. lib. 1. horolog. Princip. duodecim*
exemplis id illustrantem, quæ sufficienter testantur, non aliter supe-
riores ac inferiores legibus divinis obligari. Unde difficilis non est
illarum quæstionum decisio. An Princeps legi divinæ contraveni-
re, & contraveniendo subditos suos obligare? An Jure divino pœ-
nam præscriptam mutare vel remittere possit? *Iun. Brut. Celt. in li-*
bello cui tit. vindic. contra Tyrann. quest. 1. Zepp. de leg. Mosaic. 1. cap. 16.
Herman. Lath. de cens. lib. 2. cap. 4. num. 40. & seqq. Item, An in gra-
dibus Jure divino prohibitis dispensare valeat? Quibus o-
mnibus hoc loco alto silentio præteritis, sufficiat mihi illud subje-
cisse, quod à Canonistis communiter, *in cap. literas 13. post text. ibid.*
extr. de restit. spoliat. traditur. Prohibitiones nempe Juris divini ac
naturalis esse immutabiles & perpetuas, nec valere humanas disposi-
tiones contra mandatum Dei, cum quemadmodum Papa, ita Prin-
cipes quoq; ad quos hodie Jurisdictio in Imperio nostro per transa-
ctionem Passaviensem devoluta est, *Recess. Imp. Anno 1555. §.*
Damit auch obberürte beede Religionsverwandte/ usq; ad animam &
sanguinem legem divinam defendere teneantur, cap. sunt quidam
caus. 25. quest. 1. Iohan. Schneid. in com. Inst. ad tit. de Nupt. Ioh. Kizel.
in synops. matrimonial. cap. 2, theorem. 11. Lit. a. Secunda classis est le-
gum naturalium, quibus æquè ac prioribus Principem obligatum
intrepidè statuo. Quia naturæ quoq; Jure Princeps ut homo, non
verò ut imperans *l. quod attinet. de R. I.* non ut Magistratus, sed ut
naturæ conservus consideratur, *vide Henning. Arnif. in tract. de Jure*
Majest. c. 3. circa fin. Richard. Dieter. de sum. imp. potest. th. 32. ita ut
naturæ leges violando æquè graviter ac alius delinquat, neq; sub
prætextu alicujus rationis vel causæ delictum ejusmodi in naturam
commis-

commissum excusari possit, prout quidem amici Augusti Imperatoris adulteria illius tanquam non libidine sed certâ ratione, commissa, ut hoc ipso facilius arcana hostium ab uxoribus illorum exquireret, excusare verum malè tentarunt. Tertia classis est Juris Gentium, (quod propriè quidem legis appellatione non venit, sed vocabulo conventionis, vide *Vult. ad §. sed & quod Principi placuit. Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* latè verò quoq; lex dici potest:) idq; aliud primarium una cum hominibus ortum, l. 2. ff. de acquir. rer. dom. §. 2. & 5. *Inst. de I. N. G. & C. Arum. ad Institut. exercitat. 1. th. 14.* Bocer. in tr. de Monet. cap. 1. num. 17. immutabile. d. §. 5. *Inst. de I. N. G. & C.* & Principem etiam ligans: Vel secundarium utilitatibus demum exigentibus ab hominibus introductum, ad cujus quoq; observationem Principem adstringimus, quia ratio naturalis ac dignitas hoc suadet, ea, quæ semel placuere Principi servare. Unde Principes ex conventionibus suis, non aliter ac privati obligantur, *Wesemb. in w. ff. de Constit. Princip. in fin. Bl. in cap. 1. de natur. feud. Arum. disp. ad precip. ff. & C. L. L. th. 9. Besold. in œconom. tit. 3. & 4. lib. 1. ff. pag. 138.* easq; observare tenentur, sive cum subditis, *Bl. in d. l. princeps. 31 ff. de L. L. Wesemb. d. l. Thom. Maul. in tr. de homag. tit. 9. nu. 106. ubi allegat. Decian. n. 286. Dd. in cap. 1. de probat. Cravet. & alios.* sive cum hostibus, *Treutler. vol. 1. disp. 6. th. 7. Lit. B. ubi vide Hunn. in Resol. Treutler. l. 5. ff. de pactis. Richard. Dieter. de Sum. Imp. potest. th. 46. Barthol. Keckerman. System. polit. lib. 1. pag. 97.* etiamsi violatio illarum Reipublicæ proficeret, *Iohan. Norderman. de Tur. principat. th. 76.* quia Princeps est viva Dei imago his in terris, cui mentiri vel fidem fallere non solum cum æterno dedecore conjunctum, verum etiam periculosum, quia summè & atrociter animadvertit in eos Deus, qui mendacialoquuntur. *Proverb. 16. 8. 14. 5. 10. 22. Psalm. 5. Dissent. Machiavel. in princ. cap. 8.* cujus consilium secutam Mariam Scotiæ Reginam testatur *Buchnan. lib. 18. histor. Scot. Keckerman. d. l.* sive cum Hæreticis, quia & cum Hæreticis Juris Gentium communio est, *Treutl. d. l. & ibidem eleganter Bacov. in Animadvers. Richard. Dieter. d. disp. de Sum. Imp. potest. d. th.* ubi hanc sententiam sufficienter cladibus Christianorum in Hungaria confirmatam dicit, quò pertinent & versiculi monumenti lapidi Uladislai Ungarorum Regis insculpti.

E

Romuli-

*Romulida Cannas, ego Varnam clade notavi,
 Discite mortales non temerare fidem.
 Me nisi Pontifices jussissent frangere fœdus,
 Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.*

Dissent. Canonistæ, prout facit notum exemplum Hussi in Concilio Constantiensi damnati: Sive deniq; cum latronibus eas inierint, arg. l. 31. ff. de positi. l. 64. ff. de judic. l. 16. ff. commod. l. 22. §. 2. ff. de pignorat. act. Quarta classis est legum fundamentalium, quarum quoq; respectu Principem privatum esse, easq; in multis limitare Majestatem personalem supra sufficienter dictum, ita ut illud recoquere operæ præteritum non putem. Restat nunc quinta classis legum nempe civilium ac positivarum, circa quam quia & leges reperiuntur, ab observantiâ illarum Principem eximentes. l. princeps. 31. ff. de L. L. l. pen. C. de donat. inter vir. & ux. l. sancimus. 34. C. de donat. §. ult. Inst. quib. mod. testam. infirm. l. 23. ff. de legat. 3. l. 14. §. 1. ff. de manumission. l. 56. ff. de legat. 2. Paul. lib. 4. sentent. 5. §. 3. & simul aliæ eundem obligantes. l. 4. C. ad L. Falcid. ibi merito hoc est Iure, ex debito, lege desiderante. l. merito. §. 5. ff. pro Socio. l. 1. ff. quod jussu. l. cum lege. 17. ibi merito condemnabitur. ff. de probat. l. 1. in fin. ff. ne quid in loc. publ. l. 3. §. 2. ff. de pen. legat. l. 4. C. de leg. l. 8. §. si Imperator. ff. de inoffic. testam. Variè omni tempore circa conciliationem harum legum, & quæstionis hujus decisionem laboratum legimus apud Fachin. 2. contr. 2. Dn. D. Bocer. de Investitur. c. 3. n. 78. & multis seqq. Hug. Donel. 1. commen. Iur. Civ. c. 12. Oswald. Hillig. in Donel. Enucl. d. l. sub. lit. A. Helfric. Ulric. Hun. in Resolut. & Bachov. in Animadver. ad Treutl. disp. th. 6. Lit. A. vol. 1. Christoph. Besold. 1. polit. c. 2. n. 32. & in œconom. tit. 3. 4. lib. 1. ff. quest. 7. Keckerm. lib. 1. Syst. polit. c. 3. fol. 81. & seqq. ubi remittit ad libellos duos Jan. Brut. Celt. quorum alteri titulus, Vindica in tyrannos, alteri de Iure Magistratus in subditos. Circa quam opinionum varietatem in principaliorum quarundam veritatem inquirere, tandemq; meam de hac re opinionem adjungere animus est. Prima itaq; illorum est opinio, qui cum Cujac. lib. 15. obser. c. 30. inscriptione. l. princeps. 31. ff. de L. L. (quæ sic habet Ulp. lib. 14. ff. ad L. Jul. & Papiam.) & l. 56. de legat. 2. moti, statuunt Principem vel Majestatem habentes (quos & sub

sub nomine Principis subintellectos volo,) non generaliter legibus civilibus & positivis solvi, sed quibusdam tantum specialibus, lege puta Juliâ ac Papiâ, caduciaris. Utpote de quibus tantum allegatæ leges loquantur, & consequenter reliquas leges excludant, cum exceptio confirmet regulam in casibus non exceptis, *l. 2. ubi. Dec. ff. de R. I.* & quod expressè non excipitur sub regulæ judicio permaneat. *l. Titia. ff. de legat. 1. l. nam quod §. fin. ff. de pen. legat. Quir. Cubach. lib. broaard. c. 1. brocard. 9. Everhard. in top. legal. in loc. ab except. ad regulam.* Verum erroris convincitur illa opinio ex *l. 4. C. de L. L. & l. 23. ff. de legat. 3.* unde etiam aliis quàm caduciaris legibus lege nempe Juliâ & Papiâ ipsum solvi constat. Neq; movere debet fundamentum *Cujac. ab inscriptione l. princeps. 31. ff. de L. L. & l. 56. ff. de legat. 2.* ductum. Nam respondeo primò, Jctos veteres in libris suis specialibus ac de uno aliquo certo agentibus, etiam nonnunquam generalia ac heterogenea imiscuisse, & ad probandum aliquod speciale generalem regulam sæpissimè induxisse, quod argumento *l. 27. ff. de stat. hom.* quæ etiam desumpta est ex allegato libro Ulp. ad *L. Juliam & Papiam*, & nilominus regulam generalem *l. 201. de R. I.* continet, manifestum est, & prolixè *Dn. Henning. Arnif. de Jur. Majest. lib. 1. c. 3. pag. 67. arg. l. 3. de reb. credit.* probat. Secundò respondeo, declarationes legum ex inscriptione, vel locorum, unde desumptæ sunt, adnotatione, nec desumi debere, nec etiam posse. *Clariff. Dn. Christ. Besold. in œconom. tit. lib. 1. ff. in præcogn. quest. 9. Hunn. de Interpretat. Jur. 2. cap. 2. quest. 8. Dissent. Johan. Gœd. in Comment. ad Rubr. de verbor. signific. Cujac. d. l. 25. observ. cap. 30.* idq; ob rationes sequentes. Quia 1. nec Imperator noster ipse voluit interpretationes legum ex locorum adnotatione peti, *§. 6. & 7. de concept. Digest. §. 10. de confirmat. Digest. ad Senat. & omnes popul.* 2. Quia Jcti compilatores veterum scriptis multum interdum adjecere, & nonnunquam etiam detraxere, *d. §. 6. & 7. de concept. Digest. d. §. 10. de confirmat. Digest. ad Senat. & omn. popul.* ut ex centonibus illorum, qui hodiè adhuc supersunt, de mente ac sententiis illorum constare nequeat. 3. Quia quorundam Jctorum veterum nomina ob id tantum legibus præfixa fuerunt, ne ipsorum nomen interiret, non verò ut inde de sententiis ac opinionibus illorum constaret, ut argumento. *l. 2. §. 2. C. de Jur. veter. enucleand.* probant. *Helfric. Ulric.*

Hunn. & Besold. d. l. Altera opinio est illorum, qui respectu ad Legem Regiam habito Principem solutum esse legibus nil ominò dubitant, veruntamen quia post latam illam legem boni Principes sapius vitam legibus conformem dignitati suæ convenientem esse dixerunt, *l. digna vox. 4. C. de Leg. & Constit. Princip. §. ult. Inst. quib. mod. testam. infirm.* ex hoc suo placito quod aliàs vim legis habet, *l. 7. ff. de Constit. Princip. §. sed & quod Principi placuit. Inst. de I. N. G. & C.* legibus eos adstringi arbitrantur, in quorum numero reperire licet quoq; *Donel. lib. 1. comm. Jur. Civ. cap. 17. Hieron. Treutl. vol. 1. disp. 1. th. 6. sub. Lit. B.* Quibus tamen gravissimè adversari videtur illud, quod Imperatores, iisdem locis quibus se humanitate sua legibus astrictos profitentur, & legibus simul sese solutos pronunciant. *l. digna vox. 4. C. de Leg. & Constit. Princip. d. §. ult. Inst. quib. mod. testam. infirm.* Nec ad rem facit de Principis placito præsuppositum fundamentum. Nam non omne quod Principi placuit, legis vigorem obtinet, quia alioquin omnes actus Principis instar legis essent, sed illud demùm, quod ipse Princeps vim legis habere voluit. At verò dubium non est, quod placitum hoc animo condendæ legis interpositum non fuerit, nec illud Princeps vim necessitatis sed tantum voluntatis habere voluerit, cum d. l. utantur verbis non necessariis & adstringentibus, sed tantum voluntariis, *legibus tamen vivimus*, ut pateat eos voluisse sese nõ ex necessitate legibus adstringere, sed voluntario tantum obsequio obtemperare. Quamvis tamen hoc cõcesso, quod Principes hoc ipsum placitum vim legis obtinere voluerint, responderi possit, prædecessores illos, à quibus illud placitum fluxit, nec potuisse nec debuisse hoc ipso Majestati suorum successorum derogare, vel ullo modo, quod ipsis creditum erat, diminuere. *vide Bachov. in animadvers. Treutler. disp. 1. th. 6. ad Lit. B.* Tertiò reperuntur, qui *d. l. princeps. ff. de L. L.* interpretantur tantum de legum solennitatibus, *arg. l. 3. C. de testam. & quemadmod. testam. ordin. Vasq. lib. 1. controvers. illustr. ca. 26. num. 15. Ioh. Coras. lib. 2. miscellan. c. 25. & alij.* Sed refragatur opinioni illorum generalitas textus in *d. l. princeps. ff. de L. L. cum l. 56. de legat. 2.* ex quibus non solum solennitatibus, verum etiam aliis Papiæ nempe & Julia ad accipienda legata morte prædecessoris ad causam caduci redacta solvi constat. Quæ tamen sententia, si eam prædicti authores acciperent tantum
de or-

de ordinaria principis potestate, defendi posset, veluti infra dicturum.
Quartò inveniuntur præterea, qui inter vim coactivam & directivam legis distinguunt, & quoad vim directivam negativè, quo ad verò vim coactivam affirmativè quæstionem nostram decidunt. *Fach. 1. controvers. 2.* Quorum sententia non ideò à me repro-
batur, quasi etiam respectu vis coactive, quia olim Senatus Romanus Principes aliquot damnavit, eorumq; acta antiquavit, ut de Nerone, Vitellio, Domitiano legimus, Principem observantiæ legum adstrictum putem, prout faciunt. *Petrus Costal. ad l. non ambigitur. 8. ff. de L. L. Hieron. Treutl. d. disp. 1. vol. 7. th. 6. Lit. a. Henric. Bocer. de Investitur. cap. 3. d. n. Dn. Besold. in œconom. tit. 3. & 4. lib. 1. ff. d. quest. illud enim partim occasione capta eo tempore, cum Principes, quibus tunc nil impotentius fingi poterat, à miuitibus deserti essent, partim ob delicta Principum non simplicia & merè civilia, sed statum Reipublicæ turbantia, & Reipublicæ administrationem vitiantia factū arbitror cum *Clariff. Dn. D. Bachov. in animadvers. Treutl. d. l.* sed ob hanc rationem, quia de vi coactiva quæstio nulla est, sed tantum de vi directiva, an Princeps ejus respectu legibus obstringatur eisq; obtemperare debeat. Sunt quintò, qui arbitrantur videri quidem, at tamen revera ac re ipsa Principem legibus solutum non esse, sicq; sentit. *Dyonis. Gothofred. in not. ad Novel. 105. l. ex imperfecto. 23. ff. de legat. 3. ibi: eas servare leges quibus ipse solutus videtur.* Verum cum vocabulum videtur, non semper, ut regulariter quidem fit, *l. 7. §. 12. ff. de vi & vi armata. l. 139. §. 1. ff. de V. S. l. scriniarios. 16. & ibi Gothofred. in not. C. de testam. milit.* sit nota improprietas, sed nonnunquam etiam veritatis. *l. 30. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 37. ff. de contrahend. empt. §. quedam actiones. Inst. de act.* prout hoc loco probatur per verba demonstrativa *eas servare leges*, quæ ostendunt esse utiq; aliquas, quibus Princeps solutus sit, *Henric. Bocer. in tr. de Investitur. cap. 3. n. 29.* his adstipulari temerè dubito. Restant deniq; aliæ circa hanc rem discrepantes Dd. opiniones, quibus nunc alto silentio brevitas studio præteritis, superest, ut & quid ego de hac quæstione solutam legibus potestatem Principis circa leges positivas ac civiles concernente statuam, brevissimè subjungam. Tutissimum igitur arbitror cum *Clariff. Dn. Besold. lib. 1. polit. cap. 1. & in œconom. tit. 3. & 4. lib. 1. ff. quest. 7.* circa propositam quæstionem distinguere inter potesta-*



tem Principis ordinariam, quam & simplicem & legibus conformem appellant, & extraordinariam, quam alias plenitudinem potestatis Königliche Macht vnd Vollkommenheit. *Recess. Imp. de Anno 1544. §. Als wir aber. ibi. auß vnser Keyserlichen Macht vnd Vollkommenheit. & Recess. Imp. de Anno 1555. §. solches alles vnd jedes. dicunt.* Quam distinctionem approbat etiam *Alber. Gentil. allegat. à Besold. d. l. Primæ & ordinariæ potestatis intuitu regulam constituo. Principem legibus alligatum esse. l. 4. C. de L. l. 3. C. de testam. l. 8. ff. de inoffic. testam. §. ult. Inst. quib. mod. testam. infirm. l. 4. C. ad L. Falcid. ibi: merito hoc est Iure ex debito lege desiderante, l. 52. ff. pro socio. l. 17. ibi: merito condemnabitur. ff. de probat. l. 2. ff. quod jussu.* Ad quam regulam refero omnes etiam alias præter allegatas leges Principes necessitate legibus alligantes, sicut & illud Agesilai Spartanorum Regis, qui Imperatorem legum præcepta facere oportere affirmare non dubitavit. Ab hac tamen regula excipienda rursus puto sequentia, quibus etiam ordinariæ potestatis respectu Principem solvo, ut sunt 1. Leges caduciarum. *l. princeps. 31. ff. de L. l. 56. ff. de legat. 2. 2. Legum solennia, l. 3. C. de testam.* quo respectu Princeps testamentum absq; solennitatibus Jure Civili requisitis cõdere, *d. l. 3. l. 19. C. de testam. Besold. d. l. & dissertat. Nomicopolit. de Elect. & Success. lib. 1. dissert. 2. n. 8. Sichard. in l. 34. sancimus. C. de donat. Frider. Pruckman. de Regal. §. soluta. potest. 4. cap. membr. 3. eff. 7. Rosenthal. de feud. cap. 12. conclus. 10. quamvis id Frider. Pruckman. d. l. aliis quoq; Principibus superiorem recognoscantibus concedat, quem sequitur Besold. d. l. contra Sichard. in d. l. sancimus. 34. C. de donat.* Successorem in hæreditario regno symbolo tantum externo vel annuli donatione, vel statuarum alicujus translatione nominare, *Besold. lib. 1. polit. cap. 4. pag. 225. Dion. hist. lib. 53. & Besold. de success. reg. ultra quingentos solidos absq; insinuatione efficaciter donare, d. l. sancimus. 34. C. de donat.* nuptias in gradu Jure positivo prohibito contrahere, similesq; minutias peragere potest, quas si observare teneretur, non parum de autoritate ipsius decederet, vixq; aliud adhuc existeret, in quo is, qui summa potestate pollet, à reliquis inferioribus distingui posset. Extraordinariam verò potestatem si consideremus, non dubito quin Princeps omnibus omnino legibus solutus sit. Quia potestas illa nil aliud est, quam liberum arbitrium faciendi contra legem. Est enim Rudolphino definiente, derogatio

derogatio Juris communis seu ordinarij, plenitudo arbitrij, nulli necessitati nullisq; Juris publici repagulis subjecta. Et huc referendas puto leges Principem à legum observatione liberum pronunciantes. *l. pen. C. de donat. inter vir. & ux. Princeps. ff. de l. g. l. 23. ff. de legat. 3. cum aliis.* Quod tamen non ita intellectum volo, quod vi potestatis hujus extraordinariæ liceat Principi absq; ulla etiam causa pro lubitu suo in leges sævire, cum tyranni illud potius quàm boni Principis, hæc q; potius plenitudo tempestatis quàm potestatis sit, sed quod tunc demum hac potestate extraordinariâ Princeps uti possit, si utilitas, necessitas ac salus Reipublicæ hoc exigant, ne illud quod pro Republicâ conservanda introductum est, in perniciem illius detorqueatur. *Besold. alleg. locis.* Unde patet magnum errorem errasse eos, qui cum *Arum. in d. l. princeps. 31. ff. de L. L.* distinxerunt circa hanc quæstionem inter illud quod Principi licet, & quod eum decet, quia illud demum licet Principi, quod eum quoq; decet, & Barbarorum Regibus ac tyrannis tantum, quod Antigonus Macedonum Rex agebat, omnia justa ac honesta sunt, bonis verò Principibus ea demum honesta, quæ honesta sunt, & justa quæ justa sunt. Quæ de hac quæstione sufficiant.

XX.

Transeundum nunc est ad speciem quæstionis ultimæ. An & hodiè Imperator noster iisdem, quibus olim fuit, legibus & eodem modo solutus esse dici possit? Quæ quæstio difficilis est & ardua, adeoq; inter multos anxie agitata, elegantissimis verò ac firmissimis rationibus ab *Gothofred. Ant. in disp. apologet. adversus Herman. Vult.* affirmativè defensa reperitur. Quamvis interim nec alteri negantium partiones dubitandi desint, ut ex illarum enarratione modo manifestum reddam. Negativam igitur qui amplectuntur opinionem, sequentibus sese tuentur argumentis. 1. A quo removetur plenitudo potestatis, ab eodem removeri quoq; legibus solutam potestatem necesse est. Atqui ab Imperatore nostro removetur plenitudo potestatis. E. Major indubitatè vera est, quia legibus soluta potestas fluit à plenitudine potestatis tanquam effectus à sua causa. ut ita remota causa removendus etiam sit effectus secundum tritum axioma Logicorum. Minor exindè probatur, quia cum plenitudo potestatis nil aliud sit quàm plenitudo arbitrij & voluntatis, cam,

eam, vix est, ut Imperatori nostro adscribere queamus, qui in omnibus ferè expediendis voluntate Ordinum adjunctâ uti cogitur, ut ex capitulationibus Cæsareis videre est apud *Iohan. Sleidan. d. l.* sicut etiam ab ipsis Ordinibus pro libertate contra plenitudinem potestatis dimicatum legimus apud *eundem d. l. vide Quirin. Cubach. lib. 2. Jurisprud. Roman. publ. cap. 21. per tot. Alciat. in l. 117. de V. S. Covar. 5. variar. Resolut. cap. 6. num. 8. & alios à Cubach. alleg.* Secundum illorum argumentum tale est. Quicumq; bellum absq; Ordinū consensu indicere, vectigal novum imponere, vel alia legibus prout hæc sunt, *l. 3. ff. ad L. Iul. Majest. l. 10. ff. de publican. & vectigal. t. t. C. nov. vectigal. instit. non poss.* permissa, peragere solus prohibetur, is soluta legibus potestate pollere dici nequit. A. Imperator hæc & similia legibus permissa absq; Ordinum consensu peragere nequit, ut passim capitulationes Cæsareæ testantur. E. Hæc & similia fundamenta, licet non sint parvi momenti, magnamq; vim habere videntur, tamen adeò firma non sunt, ut præ iis contraria affirmativa veritati ac rationi minus consentanea dici vel credi debeat, quam utpote firmioribus rationibus suffultam, cum *Gothofred. Ant. d. disp. Apologer. adversus Herman. Vult. Arum. disc. 3. ad Aur. Bull. th. 46. Mart. Rymel. 2. diff. 5. ad Aur. Bull. th. 10. Theodor. Rheinkingf. de Regim. Secul. & Ecclesiast. class. 3. cap. 12. & mihi defendere placet, proboq; sequentibus fundamentis.* 1. Quæcunq; non sunt correctæ Jure novo, censentur adhuc stare Jure veteri, *l. precipimus. C. de appellat. l. 7. C. de testam.* quia Juris correctio inducitur non per subauditos intellectus, sed per expressos textus, *Ripa in l. si constante. n. 57. & n. 58. solut. matrim. Zas. consil. 4. n. 9. & 10. lib. 1. Paul. Montan. de Tutel. cap. 4. n. 50.* Atqui Jure novo nil eorum quæ Principis potestatem legibus solutam respiciunt, mutatum est. E. censentur adhuc stare Jure veteri, & consequenter eadem circa leges potestate Principes quâ olim pollebunt. 2. Quicumq; rescriptis suis ex certa scientia Juri positivo renunciare, legisq; gratiam facere potest, is soluta legibus potestate gaudeat necesse est, *l. 7. C. de precib. Imp. offer. l. 1. §. ult. ff. de Constit. Princip. l. 2. & ibidem Gothofr. in not. ff. de L. L. A.* Imperator noster adhuc hodiè rescriptis suis Juri positivo ex causa, quæ semper tamen præsumitur, *gl. in l. relegati. in fin. ff. de poen. Mynscent. 4. obs. 8.* derogare, & legis gratiam facere potest. *Gail. lib. 1. obs. 14. n. 19. cum*

no. 26.
stati
peno
gauc
Rece
chen
de or
revo
Const
Impe
dum
Thom
obsta
quoe
Impe
man
indu
com
cony
Cuba
tural
tibus
admi
scrip
pote
timu
in re

no. 16. cum ibidem allegat. E. 3. Quicumq; gaudet plenitudine potestatis, is quoq; legibus solutus est, quia hoc ex priori necessario dependet, & tanquam effectus causam sequitur. A. Imperator adhuc gaudet plenitudine potestatis, *Aur. Bull. Car. IV. in prefat. circa fin. Recess. Imp. de Anno 1544. §. Als Wir aber. ibi: auß vnserer Kenserlichen Macht vnd Vollkommenheit/ qua verba perperam accipit Cubach. de ordinar. potest. alleg. loc.* E. 4. Quicumq; privilegia concedere eaq; revocare potest, liber est ab obsequio legum. *l. 16. ff. de L. L. l. 3. ff. de Constit. Princip. §. sed & quod Principi. Inst. de I. N. G. & C.* Atqui Imperator noster privilegia ipsa experientia teste concedit, & interdum quoq; nuda voluntate revocat, *gl. in c. decet. de R. I. in Sexto. Thom. Maul. de homag. sub. tit. de collect. num. 104. & seqq.* E. His non obstant, ea quibus pro parte negante conclusum est. Primum enim quod de plenitudine potestatis afferebatur, falsum est, quia etiam Imperatori plenitudinem potestatis competere ex *Recess. Imp.* iam manifestum reddidi. Nec quicquam quod pro contrario probando inductum est probat, quod scilicet plenitudo potestatis Imperatori competere non possit ex eo, quod in omnibus ferè voluntate Ordinū conjuncta uti cogitur, nam si plenitudinem potestatis, quod ipse Cubach. d. l. concedit, respectum nullum quoad leges divinas naturales, & eas ad quarum observantiam se Imperator inita cum statibus conventionem adstrinxit, sed tantum quoad positivas & civiles admittere consideraverimus, clarum erit, cum Imperator solus rescriptis suis Juri positivo derogare possit, *Gail. d. l. & plenitudinem potestatis in eo respectu legum positivarum ponendam esse.* Nec ultimum argumentum stringit, tum quia, dum aliquas excipit leges, in reliquis regulam confirmat, tum quia magis conventiones ac leges fundamentales quam civiles respicit. De reliquis quæ circa hanc quaestionem objici possunt, in discursu videbo, adeoq; cum hac quaestione simul discursum
finis.

F

Corol.



Ad

ORNATISSIMUM VIRTUTE, ET
JURISPRUDENTIÆ STUDIO-

ssimum virum - Juvenem,

Dn. DANIELEM IMLINUM,
de Majestate disputa-
taturum.

VT Martis pullus numero præstantior omni,
Nec metuens hostis tela, nec arma fui,
Cum sæpe assiliit defensæ mœnibus urbis,
Adversa pulsus viq; manuq; retrò,
Spe potius tandem laudisq; accensus amore,
Intrepido gravius pectore volvit opus,
Nec prius absistit, quàm præmia grata laborum,
Signaq; prostrato victor ab hoste ferat:
Scilicet hoc opus est pulchræ Virtutis, & æquis
Hæc quorum sese mentibus insinuat:
Nil vulgare premit; sed sordibus altius urget
Erectum humanis exeruisse caput:
Evolat, & summo sibi quærit in æthere sedem,
Cognati repetens sidera celsa poli;

Tale tibi ingenium est, DANIEL, fortissime sanctæ
Pulle DICES, patriæ fulgida stella domus;
Tu tutela res primùm defendere nodos,
Cum vix ætatis prima juvena fuit;

MOX



Mox etiam Imperij magno conamine Leges,
Quas statuit Romano Aurea Bulla foro,
Ausus es ad trutinam sancti deposcere Juris,
Adversos doctus dissolviste strophos,
Hic ubi Cattorum in terris, celebrata per orbem
G I E S S A N Æ florent culta Lycæa scholæ.
Jamq; PALÆCOMES vix uno atq; altero in anno
Te schola primipilum fovit amica sinu,
Quando Monetales ruis indefessus in hostes,
Ingeniiq; probas robora magna tui.
Nec satis: ad majora oculos defigis, & acer
Urgente ingenio prælia quarta subis,
Materiamq; legis de MAIESTATE suprema,
Quæ sit vel solo pene tremenda sono;
Quæ gravibus salebris, spinisq; minantibus horret:
Et facili attractu vulnera ferre solet.
Sed benè habet. Nil non tanto Duce & auspice tanto
Audendum. Fortes adjuvat ipsa THEMIS.
Maeste animi, & quo te dudum mens ignea ducit,
Exprime doctrinæ cætera dona tuæ;
Nascentemq; tibi famam ne negliges, fidus
Ut Patriæ clueas civis amorq; tuæ.
Sic feret æternos tibi GLORIA DIVA triumphos.
Sic caput ornabit non periturus HONOR.

*Benevolentia contestanda &
boni omnis ergo apposuit
l. m. g.*

PAULUS NIGRINUS,
Norimbergensis Reip. patriæ
à descriptionibus publicis.

Hic est...
Abbas...
Hic...
G...
J...
F...
Q...
I...
N...
L...
M...
Q...
E...
S...
A...
M...
E...
N...
L...
S...
S...
S...

P...
T...



Altdorf, Diss., 1599-1633

ULB Halle

3


005 607 582




TA → OL

W.A.







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

POLITICA

TATE,

M. A.

IDE

NNERO, J. U. D.

demiâ Altorfinâ,
imberg. &c.

ndendam proponit

Novemb.

n Hailbronnensis,
spondens.



Noricorum,

thasaris Scherffij,
ypographi.

CXXII.

M. W. S.

1622 1

15 1/2